





SI
I ANALECTA 5
41. SEU 4.
COLLECTANEA
DE
NECESSITATE,
VEL
UTILITATE, AD FONTES HODIE IN VET.
TESTAMENTO HEBRAICOS; IN NOVO VERO
AD GRAECOS RECURRENDI.



Posonii,
Typis Caroli C. Snischek.
1819.

ANALOGA

1777

COLLEGE

UNIVERSITY



Analecta, seu Collectanea.

De necessitate, aut utilitate ad Fontes hodie in Veteri Testamento hebraicos in Novo ad graecos recurrenti.

Quoad *necessitatem absolutam* ista apud Catholicos ostendi nequit in rebus, fidei, et morum doctrinam complectentibus: quia etiam si ponantur (sicut poni debent) Autographa sacrorum Scriptorum amplius nulla superesse; sed duntaxat ex Autographis fideliter descripta Apographa, et non interupta successione perpetua usque ad nos derivata, apud nos hodiedum superesse Exemplaria: ex his, et vivae vocis institutione Veritates fidei, et morum repeti poseut; cum derivata exemplaria authentica eandem cum Autographis fidem mercantur. E. gr. Si in Ps. 21. 17. deesset illud: *foderunt manus meas*: vel negaretur de Christo sonare, atque illud: *tres sunt, qui testimonium dant in coelo*: Item apud Paulum: *columna, et firmamentum veritatis*: prorsus non exstaret, aut ad Ecclesiam non referretur: Si Malachiae excellens illud testimonium C. 1. de oblatione munda in omni

loco sub sole Deo facienda: deesset; nec fuisset praenunciatum *Reges Tharsis, et insulas* Christo munus oblaturus; sciremus tamen ex Matthaei graeca translatione, Lucae Apographo certe genuino: et vivae vocis institutione Magos Christo munera, et quidem aurum, myrrham, thus obtulisse. Sciremus consentiens totius a Christo institutae societatis rectoriae iudicium revera esse columnam, et firmamentum veritatis; item ex aliis Scripturae locis indubiis palmare superesset argumentum, pro existentia Ssmae. Trinitatis, ut in Dogmatica ostenditur.

Hermeneutae nostri docent: in rebus fidei, et morum absolute non esse inter fontes, et Versionem praeprimis vulgatam, veram contradictionem, et recurrendi necessitatem. Calmetus Dissert. in Vulgatam Libro Ezrae praefixa asserit. Si *Vulgatae* Lectio est fonti, ne forte vitiosa descriptione hodie turbato, conformior (quod non raro contingere omnes norunt) liberum est ad hanc fontes ipsos reformare, et Schnappinger reformat, Lucae 2. 24. *gloria in excelsis Deo. Vide Parall. 4. 25.* Czerny Brunae An. 1780. Parte 2-da Herm. pag. 52. ait. Ex Vulgata aequè petitur quoad Substantiam veritatis argumentum efficax, ac

ex fonte; idem addit: *Dignitati Patrum non obfuit Lingvarum orientalium ignorantia* (*Vide Reflex? pag. 116. 221.*) Vizer jam citatus. Item Professor Besange Edit. Styr. An. 1765. pag. 160. Si variant inquit lectiones cæteris paribus, sine ulla hæsitatione in rebus fidem, et mores spectantibus Vulgatæ esse adhaerendum. Res fidei (ait Simonius) a Grammaticis, et Criticis non pendent; seu Dogmata non fontibus, quæ talibus duntaxat; sed quoad veritates fidei, et morum; æque in approbatis per Ecclesiam Versionibus designantur; et quoad substantiam docentur: sicut decursu omnium seculorum sufficienter ex Versionibus approbatis et intellecta sunt, et confirmata: quin vel mentio injecta fuerit, fontes esse propterea consulendos: licet recte consuli omnes fateamur.

Generalis tamen hæc veritas in se subsistit absque omni dubio sub conditione, si omnibus fiat manifestum; in Vulgata nostra esse tali loco (quippe extra res fidei, et morum) errorem: cum recta ratio doceat fontes habere primitivam suam dignitatem: cui in omnibus Manuscriptis (consentienter eandem lectionem tali loco, et eodem sensu habentibus) debeat Versio omnis suam participatam sententiæ veritatem Scripturasticam.

Esset amissione *Hexaplorum* Origenis sors Ecclesiae Christi longe tristior: si omnia Dogmata, et morum regulas ad solam fontium hodiernorum fidem exigere deberemus *absolute*: cum nec Apographa habeamus, quae primis Seculis exstitisse certo possimus affirmare. Nullus Codex Manuscriptus Hebr. produci potest, 700. 800. ad Summum 900. annis antiquior, iudice Richardo Simonio *Hist. Crit. L. 1. C. 33.* Houbigantius autem dicit: omnes Msstos. Codices Hebr. inventione vulgari Vocalium adjectarum esse posteriores; per bis mille annos varias mutationes in locis compluribus subivisse: quod et Rossius ex Rabbiorum confessione affirmat.

Monsperger *Herm. Part. II. pag. 134.* Codicem Anno post Christum 1196. conscriptum antiquissimum censet. Quicumque Codices producantur, ultra decimum, vel undecimum post Christum Seculum non exporrigi. Idem sentiunt Protestantium Critici. Quantum ad Novum Testamentum Fischer *Herm. Edit. Pragens. An. 1788. pag. 66. ait: In genere sciendum est, nullum Codicem antiquiorem esse Sec. Sexto, aut ad Summum quinto.*

Alioquin esset Versio *praetensiva tantum*: Et quia nec *generaliter*, nec *reductive*, remo-

tius, aut proxime eundem sensum redderet: revera non Versio, sed corruptio esset dicenda. Unde nemo unus est Interpretum apud Catholicos, qui generatim huic assertioni refragetur. Neque potest negari *relativa necessitas*; quae nobis imponitur ex eorum parte; qui Vulgatam non recipiunt; et fontibus solis defuerunt: ubi fontes illi hodie quoque omnium iudicio limpidi, et integerrimi (sicut ab Hagiographo Scriptore prodiverunt) etiamnum usque haec tempora perseverant.

Sed quia fons in *Matthaeo* (ex communi sententia) et in *Ecclesiastico*, ac verosimiliter in *Sapientia*, item *Epl. Pauli ad Hebr.* amplius nec superest: in exstantes descriptiones autem quandoque describentium qualicumque hallucinatione errores aliqui (nullo diffidente) Seculorum decursu irrepserunt; nec citra miraculum aliter fieri potuit: *hinc absolutam ubique necessitatem* (Msstis Apographis, item Vulgata, aliisque Versionibus prorsus neglectis) fontes praeferendi, omnes hodie Christiani, Catholici, ac Heterodosi negant: Et quoad Summam rei communiter *quatuor tantum Casus* referunt; quibus ad fontes recurrenti utilitas omnium confessione sit agnoscenda.

Casus I.

Si in *Vulgata*, et ex ea factis Versionibus manifestus, (qui tamen illico praesumi non debet, sed clare ostendi, post alios etiam minoris momenti errores, Interpretum, et Pontificum vigilantia sublato) quales erant Exo. 17. 15. *Dominus exaltatio mea*. Quidem Codd. *Vulgatae* habebant *exultatio*, cum hebraice sit *Jehova nissi* h. e. *exaltatio*: adeoque prior lectio ex fonte est correcta, sicque impressa Jac. 2. 13. *Superexaltat misericordia judicium* h. e. velut major, et victrix gaudet et gloria-
tur adversus judicium. Olim aliqui legerunt: *Superexultat*, sensu eodem: Valde exultat, velut cervice elata: Katachauchatae: Unde Erasmus vertit: *Gloriatur misericordia adversus judicium*. Sic et Jacobi 3. 7. *caeterorum animalium natura domatur, linguam nemo potest domare*. *Vulgata* olim legit: *ton allon*: ubi errore describentium non sublato, superest vitiosa lectio: *cetorum* loco *Caeterorum*; seu animalium *marinorum*, satis indomitorum: Sed species ponitur pro genere piscis vix domari queuntis. Unde Erasmus vertit: *marinorum*, graece: *enalion*. Levis est, et ad sensum graeci textus reducibilis error.

Prov. 16. 11. pondus, et statera, h. e. Justa, et recta sunt judicia Domini: et opera Dei lapides *sacculi*, olim multi legerunt in Vulgata *saeculi*. Emendata lectio fert, ut nunc legitur, *sacculi*: quia hebr. *ab nechis* saccum sonat, seu marsupium, aut sacculum; et nulatenus *saeculum*. Ps. 41. 3. Sitivit anima mea ad Deum *fontem* vivum; licet verbum sitivit svadere videretur tantum *fontem*, tamen quia hebraice est *sitivit* le el chaj, ad Deum, seu fontem vivum correctata est lectio. Similiter Isa. 40. 10. ad fontes aquarum *potabit eos*, correctata est lectio in *portabit eos*. Quia *jennalabem* nihil cum potatione commune habet; sed *portabit* significat. Zachar. 12. 6. ait Deus: *In die illa ponam Duces Juda sicut facem ignis in foena*. Codices aliqui habentes *faciem* correcti sunt: cum hebr. sit *lappid*, seu lampas adeoque fax.

Ubi deest fons: diversae versiones antiquae dubium tollunt, vetustatis, et consensionis unitate fontem communem sic habuisse. E. gr. Eccli. 45. 6. Moysi Deus dedit *coram*, h. e. praesens praesenti; Sixti V. Editio adhuc habuit *cor* ad praecepta: hodie correctus textus ex 70. fert *kata prosopon*, h. e. ad faciem, seu *coram*.

Eadem hic in fontium descriptione errandi
 facilitas, idem periculum. Zachar. 12. 6. *non
 erit lux* (laetitia) *sed frigus* (hyems calamita-
 tis), et *gelu*: ita Hier. Ast 70. habent *psychos
 kae pagetos*. Hebraeus debebat legi non *veka-
 roth* a *karar* frigidum seu frigit; sed *vav* im-
 perceptibili saepius differentia *jekarot*. Addit
 Calmetus: *Hebraeus, quem nunc habemus, cor-
 ruptus esse videtur*. In N. Testamento Joan.
 10. Ψ . 29. Pater meus, *quod dedit mihi, ma-
 jus est omnibus: uatura mea, et potestas,*
omnipotentia. Oves proin meas e manũ mea
nemo potest rapere, (ita Vulgata) et huic con-
formiter Lateranense Concilium. Confer. Ψ . 30.
bo dedoke moi mizon. Alii legunt cum Erasmo:
Omega mizon: et loco *bo* addito s hos h. e.
 Pater, qui dedit mihi, major est omnibus. U-
 num s ad *bo* additum, et *O* magnum loco *o*
 parvi, quantam in sensu facit variationem! Nec
 sufficit dicere esse tantum variantem lectionem:
 nam *unum* tantum ad unam veritatem enuncian-
 dam fuit a Scriptore sacro *intellectum*, et scri-
 pto consignatum: licet neutrum sit falsum in
 disparatis, quorum unum differt ab alio: quo-
 rum tamen utrumque verum est in se, sed non
 est de textu. Aliud est, si ceteris paribus,
 certa, et omnium Mstorum fide roborata con-

stanter invariata usque ad nos perseveravit
 Fontis Lectio. e. gr. Math. 3. 2. Joannem di-
 xisse: *poenitentiam agite, appropinquavit enim*
Regnum coelorum, veteri Synagogae successit
 Regnum Dei, nova Ecclesia Christi; antea le-
 gebatur: appropinquabit, proxime adest, in-
 cipit, etsi nondum plene constituta (quod erat
 verum) tamen, quia graece est *engike* in prae-
 terito, sic est correctum. Haec enim reveren-
 tia, et praelatio fonti certo, certissime de-
 betur.

Aliis textibus omissis, in quibus Vulgatae
 Lectio certe mendosa impressione, seu jam
 ante inventam typographiam transcribentium
 incuria in exemplaria propagata est: voces,
 quae hodie adhuc corrigendae ex fonte viden-
 tur, in conspectum sistamus! Act. 2. 23. Ju-
 daei Christum *affligentes* interemerunt: cum in
 fonte non sit verbum generale notionis *affligo*;
 sed afflictionis specialis, *prospexantes*, h. e.
affligentes: (nempe cruci, vel ligno) verti de-
 bere censent quidam: Vel sicut vertit Eras-
 mus: *crucifixum interemistis*, quia vox ipsa
 determinat speciem interemptionis, ut si Hun-
 garus dixisset: *fel-akasztottátok*. Multi Er-
 asmo consentiunt, error tamen vix notabilis.

Rom. 13. 12. Nox praecessit, dies autem appropingvavit: Cum igitur in graeco sit *proekopse*, h. e. processit: debet loco *prae* verti *pro* cum Erasmo *progressa est*. Ita rursus vocum aucupes, multum scrupulosi! quasi cura, esse deberet de verbo, si sensus indubie est in tuto; e. gr. proloquium, et praeloquium, procedamus, praecedamus. Hebr. 11. 34. Sancti veteres hi istud, alii aliud fidei merito sunt consecuti. E. Cr. in specie *ephygon* h. e. effugerunt aciem gladii; legebatur: *effugaverunt*: ut Erasmus vertit. Dicit Cornelius a Lap. Corrige cum Romanis, Syro, et Graeco, *effugerunt*: nam hostis fugatur, acies gladii fugitur. 2. Tim. 4. 18. *liberabit me Dominus, et salvabit in Regnum suum coeleste*, in graeco est in futuro: *liberabit*, *rysetae* sicut verbum *salvabit* etiam Vulgatus posuit in futuro. Ita etiam Erasmus reddit, ut supra.

Math. 5. 24. Si offers munus tuum ad Altare, et frater tuus habet aliquid adversum te; vade prius *reconciliari* fratri tuo: Erasmus vertit: *reconcilieris*: quia in graeco est Imper. Vix meretur adnotari, adeo levis est menda, Et quoties Imperativus Graecis Infinitivo exprimitur? Tale illud Christi: Volo *mundare*: Et enim in Imper. graeco *munderis*. Non: volo

te mundare: latine est ambigua locutio; sed sensus eodem redit. Item illud: *scrutamini Scripturas*: an jubeat legi Scripturas vel sensus exprimat consuetudinem? Video praestantissimos Veteres, et hodiernos Interpretes multos explicantes: *vos soletis scrutari*; graecum aequè ambiguum est, ac Versio Vulgata. Sic Gal. 2. 11. an dicatur Petrus reprehensus, vel tantum reprehensibilis? *Kategnosmenos*. Parall. 441. Joan. 5. 39. Parall. 446. Ad Philem. 6. Communicatio fidei *evidens fiat*: graecus habet *efficax, energes*. Vulgata legit *enarges*, h. e. *conspicuus, evidens*, item *firmus*: *enargia* demonstratio. Ut etiam *enarges* facile reducatur ad notionem *efficax*. Joan. 21. 22. Petrus sciens se ex hac mortali vita martyrio migraturum interrogat de Joanne: Hic autem quid? respondet Christus: Joannes martyrio actuali non decedet: vivet usque eversionem Urbis Jerusalem; usque adventum meum Math. 24. 27. Supervivet eversioni (prout contigit) obivitque morte naturali. In Graeco est: *Si (ean) eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere*. Christi responsio fertur ad tempus, et qualitatem mortis Joanneae. Lectio nativa fuit ex communissima interpretum sententia, *si* juxta graecum *ean*. Aliqui Codd. le-

gunt voce utraque conjuncta: *si sic*. Hier. L. 1. in Jovin. *Si eum sic volo esse, quid ad te?* Major nobis cura est de sensu. Maldonatus dicit: *Quod attinet ad sensum: quocunque modo legatur, non magnum discrimen est: quia vox si isto loco facit sensum affirmativum.* Ego volo eum sic, sine martyrio actuali e vita tolli suo tempore: et eversioni Civitatis Hierosolymorum supervivere. Ephesi reipsa tardius sepultus fuit; ideo Coelestinus Papa ad Concil. Ephes. dixit Joannem in Asia praedicasse, cujus reliquias praesentes honoratis.

Apoc. 14. 3. *Nisi Virgines.* h. e. illibata fidelitate soli uni vero Deo adhaerentes; non autem idololatrae, qui spiritualiter fornicantur, possunt canticum illud *dicere*: habet Vulgata. graece autem est *discere*. debet esse (ajunt) sic, prout habet graecus fons; sed si non possunt *discere*, consequitur eos nec posse *dicere*.

C A S U S II.

Quando in latina versione Vulgata verba sunt ambigua: lectio tali loco anceps, propositio amphibologica, quoad sensum non satis determinata: sed hoc, et illo sensu accipi potest, tunc fons (alioquin certo integerrimus)

sensum dat plerunque determinatum. Ps. 145. 7. *dico*, id est: *eloquor ego opera mea Regi*, hebraice *Omer*, id est: *dicens sum*: quamvis ipso actu obtulerit, et dicaverit. Saepe etiam contextus determinat Gal. 5. 21. *praedico vobis*, sicut *praedixi*.

Augustinus animadvertit tales ambiguitates non raro ex circumstantiis, vel ex fonte solvi uti 1. Cor. 15. 31. et 1. Thess. 3. 7. Ps. 138. 15. Scriptura agit de cognitione Dei, cui interiora omnia nota sunt: proin non tantum os, et labia, non est occultatum a te os meum, seu ossa mea. Hebr. *etzem* Ps. 77. 63. Virgines eorum non sunt *lamentatae*. Vulgatus intelligit in activa significatione; contextus illuminat: *Et viduae eorum non plorabantur*. Hieronymus vertit clarissime: *Virgines ejus populi nemo luxit*. Aetate Hieronymi *lamento*: *activa* forma aequae usurpatum fuisse Lexica meliora ostendunt. Et an puncta arbitraria inter *Pibel*, et *Püal* certum determinant? etc. Sic Ps. 18. Si superbi in me non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. 70. Viri cum *Katakryievo* pununt genitivum *mu*: et sensus est determinatus; quia idem valet, ac si: *in me non fuerint dominati*: adeoque non est sermo de nepotibus, vel cognatis, sed *mei* est in

genitivo singulari. Sic et verbi *mino*, h. e. ago pecus, propello, *Thren.* 5. 5. contextus determinat: Lassis hominibus ab hoste non datur quies; cervicibus nostris minabamur, i. e. *collo ligati ducebamur.* *Prov.* 11. 12. Pulchra et fatua mulier inauribus tam inconvenienter ornatur; sicut porcus, sus, suis: ut Hungarus etiam eloquitur: *Az arany peretz a' disznó orrára nem illik.* Et 70. viri *Ps.* 131. 4. Somno non indulgebo, non dabo requiem temporibus meis, h. e. *oculis.* 70. autem habent. h. e. *parti capitis.*

Novum Testamentum ait Magistros tales libenter quaerent vani; seu sibi et desideriiis suis indulgentes *homines*: qui loquentur grata auribus: *Knitbomemeni*: Auribus suis inquietis *laxistae* pruriunt: ideo etiam laxistas sibi coacervabunt magistros. Sic 1. Petri 1. 20. *Ly*: *praecogniti* refertur ad *agni* in *ψ.* 19. praemissi genitivi. Et *Luc.* 2. 42. Prudens paterfamilias tempore tritici mensuram dat domesticis, non tempore messis; sed suo tempore competenti mensuram tritici: graece *sitometrion.*

Quis somniet in Hebraeo tales ancipitis, et indeterminati sensus obscuritates non occurrere, quae versoribus aequae occasionem errandi suis locis praebuerint? *Ximenes Card. Po-*

lyglottorum editor Leoni X. scripsit: Fieri istud maxime in ea lingua, per quam os Domini locutum est. E. gr. ad Aram ordienti Sacerdoti: *Introibo ad altare Dei*. Respondet ministellus: *Ad Deum, qui laetificat juventutem meam*. Hieronymus vertit: *Ad Deum laetitiae exultationis meae*; Quia nempe *gil* exultationem perinde sonat, aa juventutem, maxime apud Arabes (inquit Calmetus,) et laxica loquuntur. Idem illud: Imperfectum meum (corpus) me adhuc embryonem, viderunt oculi tui o Deus! *galam golaem* vertit ex sign. ar. *cadaver meum carne nudatum*. Dein Ps. 51. 1. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Contextus est de malitia *Döeg*. Idumaei — *chesed* et bonitatem, et malitiam notat. Lutherus, et multi alii vertunt: *Dei bonitas manet quotidie*. Item Ps. 92. Altitudines montium ipse conspicit: *Previdairid Aom*. Ast Vulgata *ipsius sunt*: hebr: *thobaphotb hurim lo*: An cacumina montium, et aurum, argentum, et metalla ibi videt? an profunda, ut altus dicitur puteus? an a *jaaf*, vel *upb*, in altum volare, ut aves? manet vocis ambiguitas, et sensus obscuritas.

N. T. Joan 21. 15. Diligis me plus his? andiligis plus, quam hi? vel plus, quam hos? Lucae 1. 7. Illuminare, h. e. ad illuminandum

Infinitivo, vel gerundio *pros* intellecto: lat. ad illuminare; Imperativø: illucesce.

Pilatus dixit ad inpediendum tumultum, Math. 27. 65. *babetis custodiam*, vel imperat. *adbibete*; tali terminatione graec. incertum, et anceps perpetuo, *echete*. Gal. 5. 6. non legis veteris observatio valet, sed fides, quae per Charitatem operosam perficitur, seu ostendit se, *energumene* operans, vel passive, ut obsessi vocantur *energumeni*, in quibus diabolus operatur eos vexando. *Fides perficitur*ne *Charitate*, vel *Fides perficit, et complet Charitatem*? an *Fides est sperandarum substantia rerum*, vel *sperantium hominum subsistentia*, *el-pizomenon* relinquit ambiguum!

Innumera produci solent verba, et vocabula, quorum potestas, et energia in textu verti; et in Vulgata dextre exhiberi non potuerit, vel saltem melius debuisset exprimi, (ut observant multi neotericorum) sed si rigide examinemus, versio eandem exprimit veritatem, vel ad eandem referri potest, et reip-sa etiam refertur. Sic ad *Hebr.* 13. 2. Hospitalitatem commendat Apostolus; quia *per banc latuerunt quidam Angelis hospitio receptis*. graece *xenizantes* Angelus: cum potius verti debuisset: *Angeli latuerunt*: et Angelos recipientes

hospitio nesciverunt tales, et tantae gloriae hospites se excepisse. Dico omnino sensum esse per hypalagen intelligendum: *latuit homines se Angelos recepisse*, dum hospites ceperunt, verbum enim *lantano* cum participio debet ratione inversa intelligi. E. gr. *elatbes pratton*; lateuter fecisti. seu latebas faciens: *lelesse metabalon*, oblitus mutasti, aut mutatus es: Vulgare est: *lathebiosas*. vive latenter, seu lateas vivendo; et sic idiotismus est graecus. Sed etiam ex *Vulgata* intelligitur, maxime si Interpretēs obvii (e. gr. Corn. a Lapide) inspiciantur: vel hypallage, seu e converso usus loquendi, ut *calceos habere in pedibus*: cogitur. Et tales graecismi flores octo prima Oecumenica Concilia, et torrens Patrum graecorum non intellexerunt? talis hellenismi proprietates tantos viros, et in materna sua lingua fugit? ut a modernis certissime emendanda sit, aut propter hellenismos quosdam *Vulgatae* versionis pretium minuat? Si tamen claritatis causa, mutatio facienda, fiat iudicio Ecclesiae: arbitrio cujusvis privati codex Ecclesiae publicus non temere reformetur.

Act. 13. 18. in *tropoboreo*, alterius minus probabiles mores sustineo. Luc. 12. 2. *meteorizo*, animi pendeo: *meteorizomae* valet ani-

mo suspenso sum; sit ita: ut Theophilactus censet, non habete instabilem animi suspensionem: seu ne sitis anxii de vita vestra, quomodo inopes victuri sitis? Sed propterea peccatne Vulgatus? peccantne, qui reddunt, ne meteora, quae supra vos sunt, anxie considerate, ut ex iis de futura vestra meliori, vel deteriori conditione judicetis? Deo rem committite. Non de sunt Aatholici, qui vel laudant Vulgatam hic (uti Pricaeus, et Piscator) vel ad eundem proxime sensum referri omnino confitentur.

Ad Hebr. 4. 13. Dei oculis omnia patere, seu esse *tetrachelismena*. Arabismum putant alii, alii ab animalibus pelle nudatis ex hebræo repetunt, non sensum: (de quo nemo dubitat) sed vocis applicationem, et etymologiam; ecce nec ipsa etymologia hic certa est! Verissime penes haec omnia ex interpretibus cognoscibilia, dicitur graecae lingvae notitiam cuicumque Theologo laudem, et maximam adferre in intelligenda Scriptura utilitatem: confitendum tamen, interdum etiam cum exacta lingvae hujus intelligentia multa munere obscura; atque ideo a doctissimis, et natis Graecis diverso sensu intelligi. E. gr. Quid vulgare magis, et sermone tritum etiam seculari, quam Agrippae verba ad

Paulum? Act. 26. 28. *In modico svades me Christianum fieri!* Nullum hic Vulgatae, aut graeci textus dissidium, sed quis sensus? an modicum interest, quo fiam Christianus? seu fere persuades me fieri? Vel e contrario: non me persuades, minime persuades, valde modice, ac fere nihil me tua dicta movent? V. 24. Pauli verbis parum fuisse delatum indicatur. Alii deridentis, et contemnentis sensu haec ajunt dicta fuisse. Chrys. et Cyrill. Jeros. serio prolata esse: Alii aliter interpretantur: quas explicationes juxta verba optimas, et contextui congruas perinde admittit textus graecus, ait Calmetus: *en oligo mepeitbeis Christianon genestbae*. Est nempe in graeco etiam sensus indeterminatus, et ambiguus.

2. Tim. 2. 15. 2. Cor. 10. 15. *Noema*: etiam si valeat saepe, et illa Deo ordinante in bonum fidei cedere debeant, *iniqua consilia*, 2. Cor. 2. 11. Ephes. 6. 11. ut arma nostra Dei adjutorio potentia sint superandis diaboli contra fidem Christianam machinationibus: tamen consequenter omnem intellectum *captivant*; et utique verum est *intellectum etiam hominum quorumvis captivandum esse* in obsequium fidei: metaph. *aecbmalotizetbae*, detinetur: etiam directe incomprehensibili veritati, cujus existen-

tia demonstratur. E. gr. Mysterio Trinitatis cedere intellectus noster debet. *Sic Ephes. 1. 4.* Sive dicatur electos nos esse ante constitutionem mundi, seu ante *jacta mundi fundamenta*, semper quoad summam rei, et veritatem idem dicitur. Sive *orthotomeo* vertatur vi vocis, *recte secare*; sive *recte tractare*, idem docetur. Act. 13. 18. Nonne ipsa Vulgata habet, mores eorum sustinuit. 1. Petr. 4. 4. si *xenizontae*, seu *admirantur* reddit Vulgatus, sensum reddidit: approbante Syro, Erasmo, et Evangelistis Math. 8. 10. Joan. 3. 7. consentit; si v. 12. Vulgata vertit *peregrinantur*, verbum verbo reddidit, sensum intellexit eundem, quasi dicat: *admirantur* vos renunciavisse malis actionibus, suscepta vera fide in melius mutatos. 1. Petr. 4. 4. Igitur nec in his tantum est positum, quantum aliqui praedicant, nec Vulgatae, si Ecclesiae aliquid in ea mutandum videbitur, tantum decedet, quantum invecta ejusmodi mutatione quidam submetuunt; penes Ecclesiam Catholicam esto judicium.

C A S U S III.

Quando in tali textu nullum est dubium de germanitate, et authentia lectionis fontanae, insuper occurrunt phrases, idiotismi, empha-

ses, paronomasiae, polysemia, seu non raro etiam quatuor significationes: versor, et contextus unam tantum significationem ponit, emphasis, et intensior significatio in aliena lingua plene exprimi nequit, ut versor Siracides, in Prologo graecae suae versionis dicit: *deficiunt verba hebraica*, amittunt intensiorem expressionis vim, quando fuerint translata in alteram linguam. Quod Hier. Chrysostomus nobis ingerunt, et res ipsa clamat: e. gr. Somnum Deus Adae immisit, vocatque textus *thardemab*, Orig. a *nirdam*, seu *radam* certissima interpretum persuasio fuisse videtur, valde profundum somnum voce ista signari: 70. *ecstasin* voeant: Vulgata *soporem*. Aquila etymologiae, scrupulosus in versione observator, saepe etiam nimius, *Kataphoram*, Symmachus *Karon* reddiderunt. Mulierem, *ischa* virago Vulgata habet. Mallem dici obsoleto nomine latino *vira*: ut Symmachus, ex *aner* Andris. Theodotion *lemma* a *nasa* quasi sumptio, vel a *lambano*, quia de viro sumpta est.

Isa. 7. Ecce Virgo concipiet hebr. *alma* proprie intactam viro denotat, sicut ex etymologia conjicitur, nec habet hebraeus sermo aptius, ac magis qua tali designandae proprie virgini conveniens vocabulum: Circumstantia

miraculi firmat, et Hieronymi assertio, voci inesse *epitasim*; sed vel 70. *viralis partbenos* etymon firmat, quae domi latens penes matrem *currat*, et conversetur, hungaricae voci *szüz* correspondet. *Liturgeo* in ministerio Dei *Act.* 13. 2. Erasmi Versioni favet: *cum sacrificarent Domino*: quod Vulgatus generali ministerii sensu expressit: *Ministrantibus Domino. Mincha* Machab. 1. Sacrificium, seu Deo oblationem etiam ex usu vocis gentilitio attestantibus Judaeis, et ex etymologia notat; quando de oblatione Deo facienda agitur; si etiam plurale *menachot* pro aliis oblationibus adhibetur, nihil obest: quia cum tempore extenditur, aut restringitur Significatio Lingvarum, contextus, et 70. determinant: *Quid enim thysia kathava: Oblatio munda* (Luthero Speis-Opfer) quae ab ortu solis, usque ad occasum Deo sub Messia fiat, aliud esse potest? Judaeorum *minchbab* non est aliud: lo artzaeh *non volo ego* dicit Jehova Sabaoth, nec Sacrificio adhaerens *thymia-ma*: (qualiter in V. T. offerebant) dum per istud in V. T. mensa Domini despicitur, et polluitur: patitur sensum alium, quam Sacrificii, seu proprie sumtae Oblationis. *Trid. Sess.* 22. *C.* 1. *Nicaen. II. Act.* 4. et *PP. Justinus Dialog.* cum Judaeo *Triph.* *Irenueus L. 4. con-*

tra haer. C. 32. etc. An inter gentes in N. T. vel solae preces, aut inter Judaeos Domino Sabaoth placent? Agitur de re gravissima; verborum Originationi non innitur: sed propositionum sensui, et contextui. Aucupia vocum, si placet, alibi in levioribus quaerere, illa quoque nobis prosunt, quare hic displicent? confirmant Philebraeos. An PP. et prima octo Oecumenica Concilia graecum textum N. T. et 70. Versionem non inspexerunt, quo solo utebantur? Quando, et in quo Concilio posuerunt vim, et substantiam argumenti dogmatici in etymologicis, et Grammaticam spectantibus? merito haec omnia permagni fiunt, sed ad illustrandum, et ob multas alias rationes: ideo jure optimo in Scholis docentur Lingvae Orientales etc.

Math. 12. 6. templo major *hic* est, graece: *tu hieuru meizon esti bode*, h. e. (*in loco hoc*) adverbium non hic Deus, aut Christus; etsi utique major sit Deus templo: quod ex fonte intelligitur, et determinatur. Et si versor ex incuria in lingua sua sic vertisset, redargueretur; verterunt quam multae nationes, sed vel ex fonte, vel ex innumeris translationibus sensum assumserunt, quamvis fontium ignari: et Versores praecedaneos externos translatores con-

suluerunt. Káldi a' templomnál nagyobb vagy on
itt.

In Antiquis privatis versionibus non desunt
erratorum exempla leviora in vocibus ambiguis.
E. gr. *hic* adverbialiter, loco *isthic*; hodie in
translationibus pro publico usu parandis versor
facile, et prompte ad prudentem pro honore
suo cautelam consulit Nationum (puta: Germano-
rum, Ital. Gal.) seu ex fonte Vulgatae Versiones;
periculum citius emergeret ex adnexis notis,
quod vigilantia Superiorum, et approbatio pu-
blica ante impressionem tolleret.

Quaeres inani curiositate: quare hucusque
praemissum *hic*, id est: *hoc loco*, non correxit
Ecclesia? *Resp.* Est exerratis levissima, forte
hic *isthic* scriptum fuit, vere aderat Christus
colloquens Sacerdotibus; proin nec est in signi-
ficato falsa propositio, quos intendit convince-
re: jubente me discipuli mei spicas colligere
Sabbatho possunt impune: quia Levitae, et
quidem in templo majora Sabbatho faciunt, una
vobiscum, sine reprehensione: ego autem non
servus, sed Dominus sum Sabbathi, major sum
isthic, seu *hoc loco* praesens. Sacerdotes V.
T. ad Oblationes plus in templo laborarunt,
quam hodie nostri laniones diebus festis in
macello; erant enim in mactatione, et dear-

tuatione pecorum laniones. Privati lectiones, (etsi minuta diversitate fonti dissonas) non corrigant pro usu publico: Pontifices vero arduis, et majoribus intendunt, non hisce minutis. Deus, qui concordiam facit in sublimibus, sublimiores potestates non vult objectis minutioribus officiose occupari. Longe plures ambiguae, ac una quoad sensum, et veritatem difficilius componibiles sunt aliae lectiones, quas eruditissimi in originalibus Authorum Operibus libere retineri posse autumant; etsi fortasse ab autographo sint deviae.

Matthaei fons a Nazaraeis diu conservatus ideo a Christianis neglectus perivit; versione genuina adoptata, et conservata, quae in literis quibusdam fontem referre nec debuit, nec potuit, dum ineptis, et sensum mutantibus additamentis est fons ille ab illis auctus. Panem nostrum, *quotidianum* da nobis hodie, Matth 6. 11. teste Hieronymo in fonte fuit *machbar* Exod. 13. 14. quod *cras*, seu posteriori proxime subsequente tempore significat: Vulgata habet *supersubstantialem*, h. e. substantiae nostrae supervenientem, et congruentem panem. Lites nolo de vocabuli potestate; contentus eo: quod literatissimi Philologi ab *epiimi* epusie particip. faem. deducant; quasi esset panem

epionta, supervenientem, Act. 7. 26. et 16. 11. Collat. V. 25. 31. et tandem in fine non pauci Vulgatae sensui adstipulantur. De voce *Nazareth* (unde Christus natus, ibique educatus est, propterea Nazarenus appellatus) ignoratur, an per *tzade*, vel *zain* scribi debeat, cum graece *Z* scribatur. Eli Eli lamma Sabachtani! Math. 27. 46. Marc. 15. 34.

Magni montes etiam ab his quandoque pendent, contextus determinat: vulgatissima est responsio: quae Grammaticulis convenit, non item consummatis, et emunctae naris hominibus; qui post multa decennia denique litem non potuerunt terminare: Et non poterant descriptores exemplarium errare? Errasse generatim loquendo myriades variantium quoad realem sensum variationem propalam docent. Pallax juvenis est, sed non pellex, sitometra per *o* breve, frumenta mensurat, sed terrae mensurator per *o* longum Geometra scribitur: Creopola, lanio est, Bibliopola non est, sed magnum habet *O*, per quod determinatur; Legatur aliquo loco: *adfuerunt Doctores*, ubi sermo est de Seminariis, *erronee Ductores*: an est per *adfuerunt* determinatum Doctores, seu Professores intelligi? quid si duo Medici reipsa fuerunt, quos Physicos dicimus Comitatusenses? In textu praemisso *bode* est adverbium loci, Hier.

per *o* parvum etiam neutraliter locum exposuit. Vid. Calmet. hode, hede, tode, valet *bic*, *baec*, *boc*, et hoc non obstante *bode* ponitur etiam pro *ego*. Joan. 10. 29. faciamus, et faciemus Jacob. 4. 2. et 5. 13. sensum variat *o* parvum, et *O* magnum, solus accentus Luc. 1. 7. rota, et cursus *trochos* est graece, prout accentus fuerit distinctus, sicut in theotocos etc.

Apud Marcum C. 15. 34. textus habet Eloi, Eloi, sensu eodem ex *Eloab*, Deus, et *be* velut aspirationis signo omisso: Litera *he* in voce *elohim*, essentialis, et invariabilis manet, inde plur. *Elohim*, Arab. *ilabon*, sine *on* accidentali, et cum Articulo contracte *Allab*, ut graece *ho theos*, manente etiam Art. *b*, e. gr. Christus mortuus est non secundum naturam divinam, sed secundum humanam. Arab. *la mate ila hijeten*, hebr. *Aelabut* Divinitas, *b* proin voci est essentialis.

Litera *Z schin*, *sin*, Latini per suum *s*, *cbet*, velut *k* pronunciant, vel sicut *be* omitunt, *zabachb* sacrificavit, immolavit, mactavit pecus: significat. Confidentissime proin Calmetus asserit, *Christum non pronunciasse Schabachtani*, sed *Zabachbtani*: Deus meus, quare me sacrificasti? grammaticas Observatio-

nes non pauci, imo fere omnes negligunt interdum.

1. Petr. 3. 1. Per conversationem honestam uxorum suarum lucrifiant, graec. *Kerdetbesontae* per o parvum est in textu, vertit Carpzov, per o magnum, licet in textu, sicut est per o parvum, relinqvat, in nota addit: in Coniunctivo passivo vertatur ad verbum: ut possint lucrifieri: licet plerique Grammatici negent dari futura Coniunctivorum, et denuo subjicit: Lingva non tam ex Grammaticorum regulis est iudicanda, quam potius viceversa, regulae Grammaticorum sunt ex usu Lingvae corrigendae, atque supplendae, quandoquidem saepe traditiones eorum firmae non sunt. Idem de *sepo*, h. e. putresco, notat Jacob. 5. 2. *divitiae* (ait Carpzov) aliqui notant aurum, argentum non esse putredini obnoxia; sed etymologia non est respicienda: saepe tantum accipitur *sepo* sensu interitus: generatim, *sesepe*, corrumpi, obsoletum jam esse, probat ex Thesaurio graec. Stephani, ex Aretio Viro graece doctissimo. Stupenda hinc nascitur in versionibus varietas; praeprimis, si aliqua in exemplari ejus contigit literae undecunque orta mutatio.

Dicit Calm. Judic. 19. 2. *Uxor deseruit maritum*: ita Vulgatus thiznachh legit. 70. *thiznachh*, scortata est ab eo. *Eporneuthè*, hebr. fornicata est super eum pellex ejus. Calmetus quid ad haec? *constat utique 70. et Vulgatum, et facile etiam Chaldaicum paulo aliter, ac nos hebraicum legisse, et melius quidem, ut vera fateamur.* Frequens est apud doctissimum hunc Interpretem ista propositio.

Bellarmin. Ps. 42. 6. quem ministellus cum Sacerdote alternis recitat ad altere, *quare tristis est anima mea*, et quare conturbas me? *textus* hebraicus, et una litera *vav* non suo loco posita totam hanc confusionem peperit. Plus his dicit Hare, et valde in Judaeos invehitur, qui ordinem metri conturbaverint, et periodorum distinctione sensum verborum everterint. Lector expendat, et judicet, ego Criticum non ago. Omittere tamen non possum ipsum verbum, quo Christus ex Ps. 21. usus fuit, *azab* non tantum notare ex mente interpretum minime vulgarium *derelinquere*, sed coadjuvare nitentem ad effectum. e. gr. Exo. 23. 5. Nehem, 3. 8. et 4. 2. Jerem. 49. 25. hung. *fel emelni*, a' *veszedelembül ki segitteni.* Ludov. de Dieu.

Multa sunt talia vocabula, in quorum significatione non tantum in fonte N. T. graeco, sed etiam in 70. virali versione celeberrimorum Virorum fatigantur ingenia, eorum quidem, apud quos nec occasio, nec industria, nec ingenii perspicuitas, et exercitatio complurium Annorum potuit laudabilior desiderari; quos usum loquendi hodie maximopere hermeneutis commendari solitum sequi voluisse nemo jure dubitaverit; adhibent tamen saepius ipsas in versione voces, quare igitur Vulgatae id vertitur vitio? quod Ciceroni, Julio Caesari, Plinio utrique licuit. Graecis: Xenophonti, Herodoti, e. gr. parasanga, satrapa, paradisus, xyla pro Arboribus usurpantur, qui aequae ipsam etiam Syntaxim minus ad Grammaticorum leges exactam adhibent. Cic. Acad. Quaest. 1. C. 6. *Dabitur profecto, ut in rebus inusitatis utamur verbis interdum inauditis.*

Ex his consequitur usum loquendi esse interpretationis immediatum, et utilissimum subsidium: sed ubi non tantum *nomen inane* sumitur; sed si certum ejus est, aut esse demonstratur tali textu tale significatum: et modum construendi. Nempe omnia haec humana sunt adminicula, quae applicative in tanta hodie caligine, et interpretum dissensione ultra conjecturam

non assurgunt: a certitudine mille parasangis distant. Tot versionibus, Lexicis, Commentariis, Regulis de usu loquendi coacervatis (ut Criticus quidam observat) demonstratum est practice, et tamquam ex fructibus cognitum: denique quam tutissimum esse illud Catholicum principium in dubiis, et majoris momenti circa Religionem quaestionibus id acceptari debere, quod Ecclesia Catholica semper, et ubique approbavit.

C a s u s IV.

In Ecclesia Christiana a primis seculis usque ad nostra tempora usitatae, et publico omnium nationum consuetudine in divino officio adprobatae, omnium etiam vulgarium hominum ore frequentes sunt voces Jesus, Maria, Joseph, Angeli, Seraphim, Cherubim, Evangelium, Apostoli, Episcopi, Presbyteri, Diaconi ect. Quin et graeca vocabula (vel pueris notissima latini sermonis) in omnibus maxime Artibus Liberalibus, Grammatica, Syntaxi, Poësi, Rhetorica, Logica, Physica, Arithmetica, Mathesi, Theologia, ac etiam in Jure multa a Graecis supta ect. Ad talia intelligenda lingvas mortuas addiscere non est necessarium: valde tamen laudabile, et Theologis ad

perfectionem eruditionis comparandam convenientissimum: atque ideo publice Scholis Theologicis hocce Studium sapientissimo consummatissimorum virorum iudicio est illatum.

Utamur ergo fontibus: sed occurrentium difficultatum nullus in momentosis Scripturae Locis se absolutum iudicem constituat. Traditionem, Ecclesiae Christianae consensionem; atque auctoritatem veneretur: nec eam privati cuiuspiam, quamvis eruditissimi, opinioni postponat. Deus Clementissimus huic Lingvarum hebraicae, et graecae inchoato studio largiatur incrementum in Nominis sui gloriam, et Ecclesiae Catholicae emolumentum: per Christum Dominum nostrum. Amen.

E r o t e m a t a

*Intercalaria, et Periorga a Neanisco proposita
Palaeologo Geronti, et ab eodem soluta.*

Resp. generalis. Securissime facies, si Magistros tuos communi publico omnium iudicio probatos, et ex professo unanimiter docentes obedienter audias: si peregrinas doctrinas exterorum juvenili impetu non adoptes; nec studio novitatis te abripi, nec scientiae ostentatione efferri patiaris! Nihil ab illis percipies, quod inter tot opinionum diversitates non esset

catholicae veritati conforme: et hoc tibi abunde sufficit ad doctrinam, ad sobrietatem, fortunae tuae provectionem, et gloriam: tu autem ad verum a falso discernendum juvenili tuo, proin lubrico ingenio solus tibi minime sufficies.

Suntne in Scriptura sacra Fabulae? Fabulae, h. e. Sermones, quibus doctrinaliter aliquid falsi proponatur, in Scriptura Sacra non sunt: nulla doctrina proponitur, nulla docetur in Bibliis; quae sit a veritate aliena. Siquis oculos mentis suae tantum ad fictum sermonem, velut ad picturam, quae objectam realitatem repraesentat, intendat: videbit familiare fuisse Syris, et Palestinis (ut verbis utar Hieronymi) veritates per exempla, similitudines, et parabolas docere: quia talis modus narrandi refertur ad inculcandam clarius veritatem; quae sola spectari, doceri, et auditoribus sub ejusmodi involucro, vivacissime exhiberi intenditur. Cic. L. 2. de Divin. effatur: Nihil debet esse in Philosophia loci commentitiis fabellis. Si etymon placet hebr. et arab. *Maschal.*, mesele proprie est parabola, dein vox latuis caepit extendi, ut hung. *mese*, Apologus, seu fabula a *fando* dicta: hung. *beszélgetés*, gr. *Mythos*. Et *mythologeo* apud antiquissimos Graecos Authores Homerum, ex Platonem sumi-

tur generaliter pro colloquio; sive sit de re vera, sive de ficta. *Fabula* est narratio, quae nec verisimilitudine nititur, ut si lupus cum agno loquatur, de vocibus hic Lexica videnda sunt. E. gr. gr. *mythistae*.

Cum vero antiquitas tota quoad cultum Dei, et Religionem, imo etiam quantum ad opinionem de origine mundi: non vera historia; sed usu publico probata fabula uteretur factum est: ut mythus pro fabulosa traditione, et doctrina usurparetur; ita totius Mundi *Sophia* fuit vera *moria*, Theogonia erat, (nec citra divini nominis laesionem) divinarum, humanarumque rerum fabulosa narratio, quae fuit sapientia mundi, et sublimior Theologia. Parall. 558. 563. Christianorum exteriorum dicta de mythis fusius adnotata.

Quis, et qua extensione sit admitendus Mythus, ex vestris Doctoribus intelliges, caveas cavenda, Parall. 56. Fidem Mosis, et Authoritatem, fabulis Hesiodi ne comparaveris, nec quae de diluvio, et longaevitae Patriarcharum, et factis apparitionibus Angelorum, aut Liberatore Gen. 3. narrantur, Mythos esse putaveris! memineris exterorum aliquos libros tibi esse jure omni interdictos.

Majores nostri, et Christiani ad sobrietatem sapientes haec tradunt nobis: apud Auctores secularium Literarum mus loquitur muri, et mustela vulpeculae: ut per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur significatio; unde fabulas Esopi nullus putavit appellanda esse mendacia. In Bibliis ligna sibi Regem fecerunt, et loquuntur ad ficum, et ad vitem, quod totum fingitur: vide L. Judic. C. 9. V. 8. *ficta quidem narratione, sed verissima significatione.* Augustinus L. contra mendac. Quamvis igitur fabula vim veritatis non habeat in se, habet tamen rationem: ut intenta, et unice sola spectanda veritas ad captum cujusvis facilius, securius, cum directe auditor se tangi non patitur, atque vividius manifestetur.

Apud Paulum *Epl. ad Cor.* 1. 11. 15. a membris humani corporis similitudo ducitur. Vide Corn. a Lap. Et certe hac similitudine causam teste Livio lucratus est Menenius Agrippa, plus, quam Cicero sua eloquentia ad obsequium reduxit refractarios, et pellitos rustica corda Patres. Haec justissima visa fuit veteribus fabulas excogitandi ratio; quod praecipua sanctiora vitae moralis absque his negligi viderent, quibus sine svavitate fabularum continuo terga verteret ruditas mortalium; cui

obedienter attendit in Similitudine, velut in tabula verissime, et perceptibiliter depictae veritati. Saepe Concionator apud Vulgus tali narratione se celebrẽm facit, permovet populum: sed ista qua motiva inducunt, et qua similitudo illustant: non autem quasi ipsa res secundum se ita in veritate contigisset; sed quia contingit revera aliquid simile apud homines.

Circa Parabolas quando ad facti realitatem referrendae sint; *Hermeneutae* regulas ex Patribus adducunt. *vide Vizer!* Generalis observatio est, circumstantias narrationis ad traditae veritatis realitatem non referri; sed tantum ad ornatum. Augustinus illustrat exemplo aratri, in qui solus vomer terram findit, homine tamen stivam prudenter moderante, ut vomer aptius terram proscindat, et terra proscissa non difluat, aliis additamentis opus esse.

Cum Discipuli *Luc. 14. 15.* inter se incerti de eventu jam sic, jam aliter loquerentur, et discurerent; alii vero multi veri eventus narrationem deliramentum dicerent, de eventus realitate animo anxii, et suspensi in ambiguis *fabulari*, h. e. inter se discurrere dicuntur. *Syllaleo* magis subsumi, et vituperari posset, quasi comblaterare, lallare, (ut Eras-

mus, et Beza adnotant) sed sine reprehensione adhibetur hoc verbum.

Fuitne Paulus Schenofactoriae artis Act. 18 3. Professione sua? Resp. Negant aliqui, sed erat sutor calceorum, quia condescendit apud coriarium quemdam; Theodoretus enim interpretatur Scytotomeos, alii volunt fuisse tabernaculorum confectorem: nam sicut apud nos sub papilionibus ad calorem solis arcendum, in illis regionibus faciunt ex corio, et caprinis pellibus tabernacula; sive habitant sub tabernaculis: nec hoc vile fuit opificium. Schenoo sumitur generatim pro *habito, commoror*, sic Joan. 1. 14. Verbum caro factum *habitavit* in nobis: nempe non diu, sed ut milites stantur, mox filius Patris aeternus seu Logos rediturus ad Patrem.

Fuitne Paulus uxoratus? Resp. Aliqui valde pauci, (quibus Clemens Alex. praevisse videtur), ex Epl. ad Philipp. inferunt, 3. 3. aliquando habuisse: sed etiam si habuisset, quantum ad maritalem conversationem, eam reliquisset: unde Tertull. asserit, inter Apostolos solum Petrum inveniri maritum; ipse Paulus docet generatim inter Christianos etiam seculares viros, qui se continere posse sperant, (et reipsa se continent) melius facere, si se

contineant, et Deo magis placere. Certe Paulum sollicitudo omnium Ecclesiarum, et functionum Apostolicarum quotidiana executio, tot regionum peragratio admodum laboriosa, et molestissima, tot inter pericula ab uxore circumducenda avocaverunt. 2. Cor. 11. 27. Unde PP. graeci per voces *Syzygos gnesios* intellexerunt non uxorem, quam allocutus fuerit, sed Coadjutorem, et Collegam suum (prout recentissimus Schnappinger explicat,) qui probabilius fuit Epaphroditus. *Syzygos* apud Platon. Aristophanen, etymo favente, in eodem officio idem jugum trahens, seu collega est: apud Theocritum nobilis puella procanti rustico juveni cum contemptu respondet, se esse *azygan coran*: seu hung. puellam in capillis. Unde liquet *Syzygos*, intelligi posse mulierem conjugem: sed non sequitur in textu Pauli debere intelligi, imo ex adjunctis contrarium statui. Fervens tuum desiderium provector aetas, et onus sacerdotale per se grave, praecipuis in senio extingvet, ut gravi oneri onus aliud pariter grave tibi superaddi nolis. *Lege de Lege Coelibatus Nat. Alex. vel Cephalium!*

An Paulus Damascum profectus, et Christianos ibi persecuturus, dein mirabiliter conversus, ivit pedes; vel eques? ego enim insi-

dentem equo vidi depictum. *Resp.* Peremptorium de visu argumentum! illud noveris: pictoribus, atque Poëtis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Aliud alter Poëta dicit: Mentitur Pictor Paulum qui pingit equestrem: cum clare constet, quod fuit ille pedes. Nec graecum *peze* adverb. verb. *pezevein*, hung. utazni hic valet ad argumentum; quia usurpatur perinde pro *itinerari*, sive equo, sive curru, sive quis pedibus suis iter faciat, et proficiscatur per *avidam*, in oppositione ad navigationem, maxime in regionibus maritimis. *Act.* 9. 4. et 22. ac 26. item *Act.* 20. 13. *Matth.* 14. 13. Calmetus non infimus interpretiticulosam exsaturabit tuam curiositatem; ait ille: Ex tota historia hujus conversionis, ter in Actis repetita, nullibi apparet, Paulum, et socios equo tunc vectos fuisse, contra, ac a nostris pictoribus exhibentur.

In voce *Sycomorus* debetne o primum, vel secundum longius pronunciari? Ego o primum in cantu producens a doctissimo viro sum reprehensus, sicut et in voce Antiphona, dum o produxi. *Resp.* In voce Antiphone non immerens fuisti correptus, nisi te consuetudo loci apud vos (sicut in appositione accentuum, Graeculos hodiernos) excuset: juxta illud: Si

fueris Romae etc. cum phone apud omnes per
o magnum scribatur. Sed *Sycomorus*, seu mo-
 rea, quae hujus arboris nomen est, jam per *o*
 parvum, jam per magnum scribitur; si ficum
 fatuam, h. e. silvestrem interpreteris. Si re-
 spicis qua mora ferentem, *o* produces: nempe
 cum Poëta, cornaque, et in duris haerentia
 mora rubetis; aut si mora spectas, qua *maura*,
 idest nigra. Lucae 19. 4. Zachaeus ascendit
 arborem Sycomorum vulgo sic accentuatur.
 Phonaseus es, morem sequere,

Quid Paulus intelligit, quando 1. Cor. 13.
 4. dicit: *charitas non agit perperam* graec. non
perperevetae? additque, non est ambitiosa etc.?
Resp. Cum vox *perperam* antiquissima, et probe
 latina sit: dico ipsum verbum *perperevomae* ex
 latino; terminatione graeca usurpatur a Grae-
 cis: ut si hung. dicam: *te nem vagy ambitio-*
sus, se nem vagy impostor! varie explicant
 interpretes, sed idem omnes generali notione
 intelligunt a caritate procacitatem, ambitionem,
 fraudulentiam abesse debere. Sic *macellum*,
custodia, *sudarium* ex latio assumserunt Grae-
 ci, Syri etc. Nati Graeci Chrys. et Basilius ita
 explicant, vel ut Erasmus vult, a *Perperis* fra-
 tribus natum est cit. verbum, quia illi erant

se temere ostentantes, inconsulte, et praecipitanter sermone procaces.

Quid sentiendum de etymologia, seu origine vocum? ego enim graecae linguae vaeans *etymo* valde immoror: sic puto me adjuvari ex *etymo*, in voce *Diaconus*; et inesse *emphasim*: certe *ministerium* notat.

Resp. De *emphasi* isthic tacendum, quia *emphasis* plerumque fingitur, ubi textui nulla inest aut voci: E. G. *Morte morieris*, morte sine omni *emphasi*; tantum ex genio linguae superflua est *adjectio*. De *Ministro* notandum: ex vocabulo nihil ad speciem, aut dignitatem ministerii concludi, e. gr. licet *Vice-Archidiaconi* sensu ministerii sint *Diaconi*; eos tamen *famulos* non esse, nec *famulis* posse comparari: et rurars *Episcopi* seu *Coreppi*, licet quidam interdum, non tamen omnes vere erant quoad *characterem Episcopi*. (Eybel Par. II.) Porro *etymologicae* *adnotationes* debilis *memoriae* nostrae, magna sunt *adjutoria*: quia velut in *pictura*, et *imagine* reproducunt rem in *imagine*: sic ex *notatione nominis* illico incidit; quinam fuerint *Monothelitae*, *Monophysitae*, *Artotyritae*, *Colliridiani*? sed saepius fallunt: *etymologiae*, dum ad *determinandam* in *textu vocis* *significationem* applicantur; ut adeo non

raro ad talem significationem ex etymo, tali loco concludendam; non modo doctissimi, sed etiam agrestes erubescant: quia voces sua significata in omni lingua per saecula mutant: novantur antiquantur ad aliud objectum denotandum assumuntur. Cogita vocabula, quae insigne, ac honorificum aliquid notarunt: *Sophista*, et vulgo hodie *Bernbaeuter*, nonne eum designat, quem Cicero graece apraetaton vocat: et nos nostra lingua *sem mire való ember*? Legatis apud Romanos adhaesit, qui re infecta rediverunt.

Etymologi in Lexicis graecis jam eo solo sunt interdum ridiculi: quia necquidem tunc, quando scripserunt, fuit certa; sed mere imaginaria in ejus cerebro ficta originatio: vel si primitus ideo tale objectum tali nomine est signatum; postea quoad formam, et modum ad longe aliud significandum fuit applicatum.

Si tibi ridenti quaedam sit forte voluptas: hungaricum *pokol* dicas esse *pokól*; aranearum, et sordium locus tenebricosus; *Vakondak*, *vak*, *és undök* appellari: Essen germ. esse ex latino *esse*, seu *edere*. E. Gr. ut Horat. Cum *mus* esset *ador*, seu *farinam*: Vel esse *rapas*: quid ex his *lucri*? Hungarus ex *rapum*, seu *rapa*, ducet *répa* suum: Ex columba *galamb*, ex tegula *tégla*. Tu velut Philellen serio affir-

mabis optime apud Graecos avim praedictam *peristeram* dici: quia prona fertur in amorem sui sexus. Philebraeus contra te insurget, hebraice *jonam* vocari, quia facile cuilibet rapacis avis oppressioni cedit, velut imbecillior. Sed huic philebraeo Bochartus se opponet; ideo *jonas* dici columbas; quia ex Jonia, seu Graecia fuerunt allatae: sicut Indiacos, phasianos etc. nominamus. *Guberno* ex Graeco ducitur, proprie de nave: graecum denuo, ex *cbbabar*, et *onya* Director navis; Quanta vis, et energia a multis ponitur in *agapao*, h. e. *amo*. Agapas fuisse charitatis fercula, et pocula omnis novit a primordiis Theologiae: ajunt etymologi *agan*, *lian*, augere, ut intensior amor notetur: plus igitur est, quam *diligo*. Sicut Cicero tradit *amo* plus esse, quam *diligo*. Quod spectat ad Ciceronem, autoritas ejus facit, ut pro ejus aetate credi istud debeat in usu vocis apud Romanos; sed non ultra: quod autem *agapao* attinet: certum ponunt multi, ut apud Latinos posteriores, ita *agapao* apud N. Tti. Scriptores plerumque cum *phileo* confundi; et velut duo synonyma usurpari. Notari tamen meretur Cicero. Ait ille: *Dolabellam antea diligebam, nunc amo*. Item: me aut *amabis*, aut, quo *contentus sum*, (recte hoc valet *agapao* neutra-

liter) diliges. Quid in his Etymologus tuus evincet tanto promissor hiatu, si posterior usus praevaluerit autoritate? insuper alter etymologus dicet: *agapao* deduci ab hebraeo, *ajm* initiali *agab*, quod est aequè idem. Velim magis fundamentalibus insistas; et occuperis: tempus enim breve est, et occupatio multa, et quia nugae sunt insuper istae.

Muli bodie opponunt talia, quae videntur esse explicatu difficilia, E. G. ad Rom. II. 17. Paulus contra omnem usum Oeconomiae loquitur, ignarus nempe erat consuetudinis agrorum et insitionis: nec enim arboris silvestris surculus inseritur arbori domesticae. Oleaster, e. gr. oleae; (ut omnis novit) et oleaster, etiamsi olivae inseratur, denique manet oleaster; potius oliva per oleastri insitionem mutaretur, fieretque oleaster, sicut si pyro domesticae inseratur ramus pyri Sylvestris, nascentur pyra silvestria. Audio tuam subtilem philosophationem; quam infelici successu more dubitantium ex Bibliomachorum operibus hausisti.

Resp. I. Cum haec a te mihi objecta difficultas majori attentione, et solidiori responsione digna sit: audias verba Calmeti, nec credas iis, qui Paulo ignorantiam affingunt in ad-

ducta similitudine, (quae omnis claudicare solet), et in qua non debet fieri extensio, ultra scribentis propositum. Scias te vere esse Paulum, h. e. parvum cognitione, Paulum Apostolum contra fuisse Doctorem Gentium, praeterea seculari graecorum Poëtarum lectione celebratum! Vel ex opusc. An. 1817. Paralip. initiali pag. 4. seu continuative 389. haec occurrunt. *Omne igitur ab auctoritate Scripturarum errandi periculum avertunt nostri Hermeneutae.* Audias illos. In loco ex Epla ad Rom. cit. Cap. audias Calmetum.

Respondet ille 2. proin sit. Mirum, quod Paulus comparisonem ducat ex re, quae agriculturalum arti repugnet etc. In Comparationibus illud duntaxat usurpari solet; quod argumento (praesenti scopo) serviat. Neque urgenda est comparatio praeter loquentis propositum; satis est, si fieri queat id, quod scribit Paulus: de fructu a gentibus, (qua talibus) hic non agit. Arboris (olivae) truncus sunt Patriarchae V. T. proin Deo dilecti: rami increduli, seu Judaei ob incredulitatem excisi: et Ethnici, dum ad Christum convertuntur, verae Christi Ecclesiae (olivae speciosae) inseruntur, et fructus bonos facient, ac salutem aeternam consequentur. De tua subtilitate Paulus praescindit, casum tamen

ponit; quo contra naturam Oleaster: hoc est extra Ecclesiam quis, accedit: dein Ecclesiae, inseritur, ut sic succi melioris ab oliva trahendi pinguedinem accipiat, et in hoc sistit similitudo. De *insitione* loquitur Paulus, non, ut aliqui putant, de inoculatione, vel emplastratione: cum utatur verbo *enkentrizo*, quod proprium est Geoponicorum, et ramos, gr. *Kladus* commemorat.

Resp. 3. Paulus Regionum sibi notarum in agricultura, et vineis praxi non repugnat, nec ignorantiae argui potest: nam oleam inseri oleastro etiam dixit suo tempore Aristoteles: quod nobis sufficit; ut oleaster metaphorice sumptus. (h. e. Ethnicus, vel Judaeus Ecclesiae nondum per conversionem insertus) mitescat: et feritate posita, succum olivae trahat, et fructus bonorum operum Christo placentes producat. Nec omittendum est *enkentrizomae* dici arborem etiam, quae surculos resectos accipit, seu in quam depanguntur sarmenta, vel alterius arboris rami: et dici ramos (taleam) *enkentrizesthae*, quasi nobilitari, (hungarice: óltással jobbúlni), nempe per insertionem, germ. durch. Pfropfung veredeln. Succo a trunco semper suppeditato; et huc collimat similitudinis ab Apostolo adductae ratio.

Videatur Plin. Hist. Natur. L. 17. C. 18. Africae peculiare quidem est, in oleastro insertere oleas; inseritur autem oleaster calamo, et inoculatione: porro Paulus Romanis loquitur, quibus a Scipione Africano, quippe victore Africae pars haec erat notissima. Palladius L. V. C. 2. dicit: Incolae sarmentis oleastrum ornant: addit vero, ut oleastro inseras, cum comprehenderit oleaster, inseremus in infimo; et L. 14. pag. 640. foecundat sterilis pingves oleaster olivas: et quae non novit, munera ferre docet. Author Geoponicorum L. 9. C. 14. indicat *enkentrizo* et active, et passive quoad formam terminationis dici de arbore, quae succulum (taleam) accipit, in qua sarmenta depanguntur, vel alius arboris surculus: sed melius tamen fieri insitionem in parte infima, quia in superiori parte a ventis facile agitatur, et sic non coalescit, ad stirpis fundamentum propius fieri debere; Vitis praeterea, in qua insitio fiet, non manet otiosa, sed aequae fert fructum, postea dein resecabitur. Vide etiam Columell. V. C. 11. Cato. 42. Plin. L. V. C. 2.

Dicis te amore miro ferri in graecum textum, ideo adduco, ut legas, si tamen intelligis de insitione Geoponic. L. 10. C. 76.

Ta mela enkentrizetae eis pasan achrada, h. e. pyrum silvestrem, kae eis kydonia, h. e. Cydonia cotonea, to Karyon, h. e. nux, eis komaron monon enkentrizetae. L. 4. C. 12. times de en to isopedo enkentrizusin, ho kae Kallion esti. to de en ypselo enkentrizomenon dyskolos symphyctae, tinassomenon hypo ton anemon. Ideo ne a ventis stirps agitetur, addatur stirpi palus; ad quem alligetur. Illae enim stirpis partes, quae terrae propiores sunt, cum spe firmitatis accipiunt surculos, nam ut loquitur, pros to pythmeni tes ampelu bebaoteron enkentrithesetae. Ait porro per terebrationem optime fieri, quia sic vitis, in qua fit insitio, non manet otiosa, sed perinde fert fructum, et surculus simul augescit: postea truncus vitis, quantum supra terebrationem exstat, serra desecatur. Opto magis, quam spero, ut amor ille, qui in te modo bullit graecae Linguae; in Capellania non defervescat, sed in dies augeatur: ut alterum in te Budaeum habeamus. Dum audis *Komaron* de Comaromio Urbe non cogites, arboris speciem eam esse: quam mihi ostensam vidi, (sed credere non possum) adeoque meam ingenue fateor ignorantiam, *unedo* Plinii esse fertur: iterum fateor, hoc ipsum (nescio.) Ingemino, et inculco: Ha-

bes tuos Professores, audias illos, non *aliquos* exteros, qui suos etiam antesignanos hodie deserunt, plus naturalistae, quam Christiani: qualis est etiam, qui cum suis quibuscunque Collegis elucubratus est *institutiones Theologiae dogmaticae*, Halae 1817, in 8. docens Dogmata hucdum credita emendari posse, et ut omnes Christiani idem sentiant, impossibile esse: Trid. Concilium Canonem Librorum Sacrorum, arbitrato suo constituisse: Ecclesiam infallibilitate non gaudere. pag. 29. 72. 82.

Corollarium I.

Hic demum est casus, quo a fontibus unice, proprie, ex necessitate ipsius rei, peti debet subsidium: siquidem sensus Scripturae genuinus, qualitercunque Grammatico - Historicus (quem Hogiographus Scriptor mente concepit et lectoribus communicare voluerit) originarie, et principaliter est repetendus; sed hodie Authographa nulla habemus, nec Apographa praesto sunt, nisi a tempore Authorum remotissima, (quod tamen nihil quidquam officit) est enim quoad summam rei, h. e. in rebus Dogmatum, et moralis Doctrinae perinde nobis, ac si Autographa prae manibus habere-

mus: eo, quod omnia in momentosis in Apographa, ex his in versiones fideles per totum Mundum generatim, et collective sparsas, error substantialis inferri, et inemendatus per orbem approbari non potuerit. e. gr. Math. 5. 22. Irascens fratri suo *sine causa* Christum adjecisse, ut multi contra plurimos volunt o cum in Originali legatur: *Orgizomenos Eike, enochos estae te Krisei*. Vulgata *eike* omittit, juxta veteres, et modernos multos. Scopus Christi erat iram ex corde in caedes inter privatos erupturam evellere: quod nec additione *eike* potest negari; proin sensus idem veritati absolutae, et scopo Salvatoris est conformior: taceo, ut Dogmati, vel Moralitati Christianae officiat. Cassiani, aurea eatenus juxta Millium, critica observatio, et Hier. ex eo, quia erant vitae monasticae addicti, non debet contemni. Ponamus in 70. *Hodie adhuc tres dies, et Nivive subvertetur*: Norunt Eruditi, qui sunt Christiani omnes, quocumque casu hic gamma, h. e. tres, loco literae *mi*; h. e. 40. subrepisse, quod non vox *tessakonta*, sed per Literam Alphabeti, quae valet 40, *my* scriberetur, et haec litera per subsequentes descriptores in consimilem literam *gamma* significantem 3 vitiose postea migraverit. Quae enim alia erro-

ris fuisset causa, vel occasio? Quid vero istud Fidei, et Moralitati nocet? et si noceret, error fide tot versionum ac fontis manifeste appareret! sed nec evertitur sensus moralitatis, seu Urbis evertendae, nisi egerint poenitentiam, acceleratio duntaxat poenae indicaretur. Aequae fontes iisdem numerorum erroribus gravari multi Christianorum doctissimi apertissime confitentur. Gen. 2. 2. et 8. 4. et 1 Machab. 6. 37. 4. Reg. 3. Calmet. Bochart. Ludolphus Job. 3. Reg. 14. 21. ac 4. Reg. 3. 4. de Bethsamitis 1. Reg. 6. 19. Syrus, Arabs, Kennicot, Rossius, 3. Reg. 4. 26. Ait. Calmetus: Cuivis praesepe decem equi assignentur, expeditissimum est, cohaerebitque Lectio Vulgatae. Par est hic in fontibus errandi facilitas, mira inter Christianos, quo magis doctos, eo luculentior omnium in conciliandis textibus consensus, nullum substantialis periculi cernitur vestigium.

Corollarium II.

Ubi nullo Christianorum dubitante fontes Authographa sua integerrime quoad literas, vocales, et reliquas notas diacriticas nobis praesentant propter multiplicem vocum significationem, quae tali textu praevaleat, proinde

vocis ejusdem quis sit in textu sensus: mira sunt interpretum divortia, de hebraeis nemo ambigit, et exempla sunt innumera; nec mirum: hebraeus sermo uno libro non potuit perfecte significata omnia, et totius lingvæ plenitudinem nobis ob oculos integre proponere. Cognatae lingvæ: usu longævi temporis significationes vel extenderunt, vel restrinxerunt, aut talem, vel penitus ab usu remotam solius elegantiae causa adhibuerunt, e. gr. Ar. *bara*, *asa* fecit, Arabes extra usum posuerunt, et antiquarunt. Quia *bara*, creavit, non est in notione *creandi* in usu, *cbalak* pro creavit substituerunt, quod hebraice est laevigavit, divisit in partes. Sic in N. T. *anastrepbo* valet quidem *everto* Joan. 2. 15. alibi tamen valet *revertor*, *conversor* cum aliis, unde *anastrophe* conversatio; indubie Joan. 2. 15. in loco cit. hæc est certa *anestropse* significatio, sed non ubique ita adjectum determinat notionem. *Apostromatizo*, denotat, memoriter recito, non ex libro, et de recitante, et de interrogante, qui examinat, ac memoriter sibi referri vult, usurpatur, sicut apud pueros Schedator jubet alios recitare; voluerunt Judæi facere cum Christo, sicut melior Scholaris cum negligentiore, et ignorante: volebant ulcisci, et coelestem Ma-

gistrum confundere; Vulg. volebant ei os opprimere: eodem sensu, fors legit *epistomizeo*, unde in vase *epistomium*. Haec sunt ex N. T. in *apostomatizeo*, graeci sermonis elegantiam suspiciunt multi, Solam 70. Versionem voces habere multas, de quarum significatione inter eruditissimos veteres natos Graecos, et hodiernos antiquis Graecis in Linguae hujus cognitione non inferiores haud convenit: maxime ob polysemiam, dum tali loco sensus plures convenienter aptantur: exempla produco.

Axioma. Norunt omnes veritatem, per se notam, ex etymo *acceptatione dignam*, item dignitatem sonare, verbum *axioo* pro diversitate sensus praedelecti, et aliis communicandi notat. Dignum esse censeo 2. peto, velut mihi competens, quia dignum me puto, 3. acc. genit. eum nihili puto, gr. *medenos*, aut cum inf. *gegonenae* esse talem, vel talem; 4. peto tempus ad — — vendico mihi gloriam, 5. dignatur illum mensa sua *trapezys*. *Dignare me laudare te!* *axiodon me hymnesuese!* Deus vos faciat idoneos 2, Thess. 1. 11. Sacerdotes duplici honore digni habentur 1. Tim. 5. 17. *axiusthosan*.

Notissima est vox *Apostrophus*, sed *apostrepha* jam converto, jam avertio, et aversor,

unde Beza transtulit 2. Tim. 1. 11. Aversati sunt me omnes; melius Vulgatus: *Aversi sunt a me omnes*, quia etsi me non oderunt, me vinctum erubuerunt fovere. 70 usurpant pro reverti, et converti. *Anastrephomae* conversor Math. 17. 22. alii conversantibus, alii revertentibus reddunt.

Septuaginta Viri interdum hebraicis vocibus novam in graeco significationem attribuunt, quia putant sensum eundem in graeco posse exprimi novo vocabulo, aut graeca alia originatione, e. gr. nysso a *nyx*, aut per anchistiam significationis ad cognatas notiones extensione etc. Ps. 94. 6. In cubilibus vestris *compungimini*, h. e. compunctionem, seu internum habete in taciturnitate spiritus dolorem, ajunt nempe non a *Katanyssso*, sed a *nyx*, seu nox 70 effinxerunt verbum in N. T. etiam Lucam disertum graecum Scriptorem sensu isto Act. 37. Rom. 11. 8. intellexisse, cum 70. Gen. 2. Gen. 15. 11. Sam. 20. Jon. 1. Apostolicus proin est sensus, animum in malo obstinatum indicans, *non sitis ad evigilandum tardi, velut altissimo sopore demersi*; et hoc esse hebr. *ruachb thardenia*. Ita Chrys. Theophyl. Oecun. quidni Osiander, et plerique Protes. Plurima sunt talia verba, et nomina, quorum significata ex 70.

plerumque determinatum sensum sortiuntur, quibus doctissimi Christiani contenti sunt; *cartallus*, hung. galamb. kosár, corbisvimineus, vel recipiendo frumento, vel uvis exprimendis Eceli. ii. 37. *Katadolesco*, nugor, loquax sum, meditor. *Katapelmatoo*, calceos pittaciis munio, meg-foltozom, aliter, meg-talpalatom, prout nempe per anchistian extenditur, vel restringitur significatio.

Colabrizo, despicio, contero, tamquam porcellum Job. 5. 4. Kolabrus enim porcellus est; sicut Vulgata a *moschos* effinxit vitulamina, h. e. ad radices arborum resecandos, qui contra scopum intentum subnati sunt, stolones, per metaph. ex adulterio proles denotandas. Crocodilus est in 70. non ut vulgato nomine notum animal, sed lacertae species, monstrante Bocharto, et Vossio. *Kolea*, petaso, perna 1. Reg. 9. 14 alias armus *Lampene*, Királyi Tséza, Öszvérek viszik, Isa 66. 20. Vulg. *plaustratecta*, Num. 7. 3. *latrevtos*, ministerialis, servilis Exo. 12. 16. licet latria ad Dei solius cultum referatur, latris mercenaria est famula. *Mazuroth*, hebr. mezuloth Chrys. usus obtinuit, ut animalia vocentur planetae.

Memasso, strepo, tumultuor, turbor, valde cupio, 70. de canibus, de mari usurpant,

Jer. 4. 19. Hier. vocem. hanc se ignorare fatetur. *Megalorrhemoneo* Judith. 7. 12. magnifice me jacto, glorior. *Mikrologus*, non qui loquitur de vocibus, vel colligit voculas, sed avarus, rei parvae *rationem* habet, sordidus Eccli. 14. 3. *Mitra*, seu diadema, Judit 9. 3. est *metra* h. e. matricem, seu hanc quoque per *i* scribi a *mitos*, filum derivari, alii a Syris deducunt. *Holocarpomata*, h. e. holocausta, ex fructibus integerrima. *Succedentes ossa olivarum* Jer. 43. in Epl. non pytira, sed epytira casei condimenta.

Paracruo a me submoveo, repudio, deprecor, fraudulenter decipio Gen. 31. 7. Ps. 104. 17. et 36. 26. *nossevo* Eccli. 1. 15. Prov. 9. 1. Sapiencia aedificavit domum. Epiphanius putat *enosseve* in originali hebr. fuisse, adeoque aedificare, poni tamquam pullum exclusit, *nossus*, seu pullus pro *nidus*, continens pro contente, et *nidus* pro domo, sicut in illo: Herodii (*ciconie*) domus dux est eorum, supereminet aliis nidis. Nempe casu illo esset ab hebr. *Kinnen*, et sic olim legisse Authorem in fonte.

Siquis amet Lector quaesita videre soluta Biblica; in his paucis quisque videre potest.

*Synopsis Partium Scripturae V. T. apud
Protestantes hodie adhuc controver-
sarum, sed a Catholicis omnibus
receptarum.*

Svasore Amico impulsus (ne sciendi avidis
desim) explico breviter verba decreti:

*Cum omnibus partibus suis, prout in Eccle-
sia legi consueverunt, et in Vulgata veteri Edi-
tione habentur: Quae, et quales partes, quove
sensu in decreto intelligantur?*

Non enim desunt, qui exemplo Sixti Se-
nensis Dominicani (Estheris partes repudiantis)
etiam hodie audent respondere: Decreti verba
intelligi debere: *de veris, ac germanis parti-
bus, quae ad librorum integritatem spectant;*
*non autem de laceris quibusdam appendicibus,
et pannosis additamentis, a quovis incognito
Authore temere appositis, et utcumque insutis:
qualia sunt bujusmodi capitula.* Sed reproba-
tus Sixtus fuit a Cl. P. P. Milante, et Natali
Alex. aequè Dominicanis. *Tom. II. Hist. pag.
204. Edit. Bassani et Venet. a. 1778. et Tom.
I. Suppl. pag. 57.*

Quis enim cognovit sensum Domini? an
Sixtus Senensis origine Judaeus, professione Mi-
norita, tandem Dominicanus? quo jure lacerat
pannosas appendices, nec ad integritatem libri

spectantes pronunciat? an quia in hebraeo desunt? movitne haec ratio Ecclesiam, et Scriptores praecipuos, aut Oecumenicam Synodum? an eadem ratione (velut nihil speciale continens) seu V. seu N. Testamenti Liber protocanonicus, e. gr. *Cantica Canticorum*, *Epistola ad Philemonem*, 28. *versiculis constans*: ac Epistola Judae rejici posset? paucis: Verba Concilii de omnibus illis partibus intelligenda sunt; de quibus a Protestantibus eo tempore mota est quaestio; eo, quod in Hebraeo deessent? alioquin si haec causa sufficeret, etiam rejici possent aliae partes plurimae; et ex libris Sacris more Judaeorum Christi contemptorum deleri.

Merito vapulavit Sixtus: cum alibi etiam sufficere ad auctoritatem statuendam; solam subsequam Dei approbationem operi humano accedentem postive, (ut Lessius Parall. pag. 387.) asseruit: hic vero ex levidensi ratiuncula Estheris partes resecare maluit: (novandi studio semper periculoso) quam Ecclesiae Catholicae tutissimae sententiae, favisset: quae ecclesia in terminis includit et inclusit semper eas partes, quae ab antiquo in Ecclesiis legi consueverunt: uti de partibus Estheris Rupertus L. 18. de *Vict. Verbi Dei* Cap. 12. et L. 12.

de Divinis Officiis C. 25. adnotavit. Videatur Missale nostrum *feria 4. post Dom. III. 40. mae.* Epistola Missae *fer. 5. Heb. passionis.* Ecclesia hic utebatur Vulgata eatenus; quatenus haec (adnotante Hieronymo) *Graecorum lingua, et literis continetur.* Notant nonnulli Sixtum unice quoad partes Estheris deviasse: nam sceleratis haereticis annumerat, qui Tobiam, Sapientiam, Ecclesiasticum rejicere ausit,

Missale nostrum *quoad festa antiquiora,* et usum Scripturae (respectu partium controversarum) magnam habet auctoritatem; indicat enim certam Ecclesiae Catholicae de illis partibus agnitionem, et in Officio divino approbationem, Missa latina (a Mathia Flacco, Illyrico Lutherano publici juris facta) *sec. 7.* sed jam sub Carolo M. usitata in Galliis: est ipsa Missa latina confecta *Sec. 4-to vel 5-to:* estque origo Liturgiarum Occidentalium; adeoque etiam Missalis nostri. Vide Honoratum a S. Maria *L. V. Dissert. III. pag. 82. 90. 94. Animadvers. in regul. et usum Critices Venet. 1778.*

Decreti Trid. vis directe non in criticis, aut hermeneuticis Regulis fundatur; sed in continua traditione praecedentium Seculorum: quia ex usu ipso publico (inde a primis Seculis semper usque tempus Reformationis Protestanticae

constat has partes controversas, (eo non obstante, quod in hebraeo deessent) fuisse reliquo corpori Biblico V. Tti. adnexas, et connumeratas. In fundamentali hac quaestione de libris divinis: certum est Ecclesiam errare tot seculorum usu non potuisse. Notanda proin sunt sequentia.

1. Non spectat huc singularis aliqua vox Vulgatae E. G. *Act. 1. 4. convescens* (alias *Congregans* ex alia derivatione) quae putatur a Criticis, et Hermenentis emendanda: nec integri versus, aut sententia, cujus etiam hodie exstat primitivum, seu originale hebraicum certum; et indubitatum.

2. Non intelligitur ulla ex variantibus lectionibus ex fonte hebraico Veteris aut graeco Novi Testamenti producibilibus: quia in his quaestio reducitur; quaenam lectio ex his sit genuina? quo cognito utique lectio ea ante versiones quasvis nativum obtinet primatum: modo certa sit ejus tali loco significatio.

3. Non intelligitur Lectio, de qua Critici dubitant, an non sit, describentium incuria, literarum permutatione, vel quocunque fato (progressu temporis) variata: si enim constat 70. versionem, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, Syri, etc. Vulgatae consentire; tunc

concludunt Hermeneutae passim, a primaeva fontis lectione tali loco apographa demutasse: Praesertim si pars aliqua Apographorum (in Manuscriptis, et typo expressa) pro Vulgata Ecclesiae lectione: pars alia pro lectione fontis hodie usualis, inter se dissentiendo conpugnent. Tunc de utraque lectione dubium nascitur, caeteris paribus; et plerique Catholici censent, ex sola conjectura, lectionem Vulgatae (prout in Ecclesia legi consuevit) loco moveri non debere; demum sanior Critica determinat, seu, potius Ecclesiae in tali ambiguitate iudicium: cui acquiescere est consultissimum.

4. Non intelligitur lectio Vulgatae obscurior, sensum dans generalem, minusque determinatum; qui ex fonte (tali loco illibato, et integerrime fluente) majori claritate, energia, et emphasi obtineri potest. Lectio anceps, et dubia tunc ex fonte ipso est clarificanda, prout obvia quaevis pro Scholis edita Hermeneutica docet.

Variantes lectiones V. et N. T. sunt immensa congerie apud Rossium *Edit. Parmae. An. 1784. Le Long. Proleg. pag. 467.* Nascitur (ait iste) perplexa difficultas, ut vel summa ingenia sine metu naufragii haec vada, et syrtes transire non possint, et in Novo Testamento certissime Critici ad plenam animi

convictionem nihil possint definire; probabilioribus duntaxat contenti: prout huic haec: alteri alia videntur probabiliora. Adco res ardua est, et ambigua: quas lectiones pro germanis, et intemeratis, et Apostolicis haberi oporteat? Graece exemplaria dissident a latinis: graeca moderna a veteribus: moderna a modernis: in tanta ergo codicum varietate quo confugas, quid sequaris, cui tuto credas? Cur demum non Ecclesiae Catholicae iudicio acquiescis?

Hieronymus asserit ad Damasum (ut Vulgatam N. Testamenti graecae fidei, ubi fieri debet, reddat) svadentem: *Verum non esse, quod variat: etiam maledicorum testimonio comprobatur; cum exemplaria tot sint diversa, quot codices.*

Reipsa quasdam Lectiones emendavit, ex fonte 1. Tim. 1. 15. *humanus sermo*, et C. 3. 1. in *Fidelis sermo siquis Eppatum desiderat*; Gal. 2. 5. ad horam cessimus, loco *nec ad horam cessimus*. mox C. 5. 8. est ex Deo: loco *non est ex Deo*. Moderni nobis obvii Hermeneutae (quantum ad incertitudinem verae lectionis ex pluribus variationibus eligendae) consentiunt Hieronymo. Vizer Parte III. pag. 90. *Dicovariam esse codicum graecorum hoc loco lectionem, et ideo ex fonte graeco nihil certi nos posse col-*

ligere. Beza de adultera Joan. 8. *haec varietas lectionis facit, ut de tota narrationis fide dubitem.* Illustri illo textu 1. Joan. 5. 7. Certum videtur (ait Fischer) verum, de quo loquimur, pro Arianis potius, quam contra illos facere, cum autem Tridentina Definitio refragari videatur, praestare in auctoritate Praesulum nostrae Ecclesiae acquiescere, quam disputare. Ita idem Fischer Herm. Edit. Pragae an. 1788. pronunciat.

Qui tamen de cetero Ecclesiae de Trinitate dogma sincero corde suscipiunt, ob solam Criticae Regulam applicative incertam, argumento ex l. e. ducto vim denegantes, haeretici non sunt. Refl. pag. 7. 8. 9. abunde opinionis textum abesse volentium periculositas, et ceteris paribus minor verisimilitudo indicatur, nec sufficit Catholico non esse de haeresi suspectum, cum neque contra communissimam Catholicorum sententiam debeat novitatis invehendae circa tam momentosos textus esse studiosus.

Me movet insuper exigentia contextus, ut quid enim particula *et* sequeretur, nisi simile quid antecederet? quorsum illud *in terra*, nisi praecessisset illud *in coelo*? quorsum illa *et hi tres unum sunt?* vel etiam *in unum*, cum

praepositio *in* merus sit hebraismus, ut apud Hungaros *pappá lett*, vel *pap lett*.

Itaque ex varietate lectionis plerumque nascitur apud Criticos iudiciorum variatio, et incertitudo, e. gr. Calmeto iudice, luculentiore, et pleniorum Vulgatae prae graeco sensum, Vulgatae exemplaria quaedam graeca consentire. 1. Cor. 7. 33. et V. 48. ac 43. Vizer Part. 3. pag. 90. *Ajo lectionem illam olim fuisse a Marcione substitutam*, teste Tertull. L. 2. contra Marcion. *Secundus homo de coelo, quare secundus, si non homo, quod et primus? eodem modo et in nomine hominis revincetur*, h. e. Marcion fraudis convincetur. Idem Tert. contra Marc. L. 5. C. ult. asserit Marcionem omnes Pauli Epl. corrupisse, praeter brevissimam ad Philemonem. Id Marcioni exprobrat Epiph. haer. 42. illud Christi, *non veni solvere legem, sed adimplere: convertit: non veni adimplere, sed dissolvere*. Socrates L. 7. C. 32. pag. 321. Edit. Aug. Taur. an. 1747. Nestorianis tribuit 1. Joan. 4. 3. Joan. 3. 6. Arianis Ambrosius L. 3. de Spirit. C. 11. et L. 5. de Fid. C. 7. Aug. L. de Trin. C. 12. Hier. in Matth. 24. Iren. L. 1. contra haer. C. 29. Basil. L. 2. contra Eunom. Euseb. L. 5. C. ult. Edit. Aug. Taur. pag. 221.

Seu nostros, seu Heterodoxorum Criticos in variantibus consulas, plurimos aliis aequè multis contradicentibus, Vulgatae adhaerere videbis. Zachar. IX. 9. Exulta satis filia Sion! Ecce Rex tuus veniet tibi *Salvator*, hebr. *Noscha*, h. e. *Salvatus*, ex miseriis ajunt nonnulli, quia more verborum activae significationis usurpatur, quod exemplis, viderint ipsi, an idoneis, confirmant; ut in latino *vapulat*, vel *male audit*, loco diffamatur. Alii cum Houbigantio active adhibent *Moscha*. Grotius directe propter omnes Vulgatae versionem consentientes, Chaldaeam, 70. et Matth. C. 21. 5. notandum secatur, *vel omnes consenserunt passivum poni pro activo, vel in melioribus Codicibus scriptum fuit Salvans*, h. e. *Moschia*. Idem de Messiam sonante textu Isai. 53. 8. loco propter scelus populi *plaga ei*, ex sola 70. versionis auctoritate placuit Jahnio, qui tamen postea fluctuans passivae significationi maluit adhaerere.

In N. Tto. ad Rom. 1. V. ult. *Quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus*. Erasmus, et alii plures graecam praeferunt lectionem, sed quia Vulgatae lectio a mille ducentis annis apud Patres, Orig. Aug. Ambr. habetur, et contextui haeret optime,

scopo Apli. mire servit, sensumque fundit planum, Calmetus praeligit, Toletus Card. in hac Epla. celebris, et laculentus interpres admissa probabilitate contrariae lectionis, *mibi tamen* (ait) *magis probanda videtur lectio nostra Vulgata.* Sic. Act. 20. Eppos. Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo: proin Christus Deus est. Graeci Cod. habent multi *Christi*, sed nostram Vulgatae lectionem veram probat Millius ille famosus. Manet ergo iterum illud: dum Critici variantes scrutantur, et colligunt lectiones, dein Vulgatae lectionem propter graecam aliter habentem eliminare volunt, ipsos Scrutantes ultra conjecturas nihil posse plerumque producere, et deficere Scrutinio, ut Psal. 63. 6. dicit Vates Regius.

Ad ejusmodi Critica Decretum Trid. non spectat, quod tantum exporrigitur ad partes Librorum V. Tti. eas, quae tempore Concilii a Protestantibus contra mentem Ecclesiae sunt rejectae, sed amplius a Catholicis repudiari non possunt, quas in textu hebraeo non legi Hier. in Vulgata adnotavit.

a) In Daniele Cap. 3. a V. 24.0 usque V. 90. am et a 91.0 usque 100. sunt translata ex Versione Theodotionis. Item: Dan. C. 13. *Hu-*

usque Danielem in hebraeo volumine legimus, quae sequuntur usque ad finem libri, adeoque duobus CC. comprehensi Versus 65. et Versus 42. ex Theodotione translatis sunt. Ait. Hier.

b) Susannae in horto se lavantis ad actum turpem per Seniores sollicitatio, trium Ministrorum in ardentem fornacem injectio, Beli destructio, draconis artificiosa occisio, Danieli in locum leonum misso allatum ex Judaea Babilonem per Habacuc prandium.

c) Septem Capita Estheris posteriora, a C. 11-0 V. 2-0 ubi notat Hier. in Vulgata legi, sed nec in hebraeo, nec apud ullum reperiatur interpretem. Haec quoque addita reperi (ait Hier.) in Editione Vulgata, et ista, quae subdita sunt. Quae sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in Volumine — — — haec, quae sequuntur, post eum locum scripta reperi, ubi legitur — — — nec tamen habentur in hebraico, et apud nullum penitus feruntur interpretem. Sequitur ultimum Caput, seu 16 um.

d) Prophetia Baruchi, qui egit Amanuensem Jeremiae, ideo partim citatur nomine Jeremiae apud Veteres partim suo: habet sex Capita, seu 213. Versus. Monsperger Successor Jahnii in Cath. Viennensi Hermeneuticae suae

Par. II. pag.^o 50. scribit, in *Baruch insigne legitur de Corporis humani assumptione per Christum Vaticinium* C. 3. VV. 37. 38. et quid aliud in locis nonnullis (licet saepe etiam alia) notat *Memar* paraphrastae Chaldaei? et Patrum expositiones directe de Christo textum propheticæ exponentium? an non hoc ipso et Baruchum, et textus authenticam agnoscunt? Nimirum et contra partes librorum, et contra integros libros, inanes, et plane insufficientes erant Protestantium Objectiones, maxime ex historiis, et Chronologia, ex quibus non realis Objectio, sed nostræ ignorantiae nascitur manifestatio, dum rerum eventus combinare non possumus, quæ et inter coævos nostros, et concives in una eademque Civitate, uno eodemque tempore ante aliquot annos contigerunt, impossibilia fuisse, ex notis nobis adjunctis temere judicaremus. Et quotus quisque historicus notaverit e. g. quod in regno nostro contigit ante 300. annos, tam numerosum habuisse Conciliabulum Judæos pro adventu Messiae determinando? quod narratur Parall. pag. 53.

Non citat Christus illos, nec Apostoli? imo citant LL. Sap. et Eccli. cum moralitatis compendium exhibeant, et virtutum; unde posterior *Panaretos* græce nominatur, et priore

libro vix est in Scripturis V. T. notatu dignior, quo excellens Dei idea magnificentius exprimitur. Esther qua parte Canonicus est liber, quem Theodotion vertit, ubi quaeso in N. T. vel Cant. Canticorum citantur? In Tobia quantum Zelus religionis, timoris Dei, continentiae conjugalis etc. ideo Vulgata in marg. citat Luc. 6. 31. Matth. 7. 12.

An Tobiae non est divinus liber, quia C. 3. 21. C. 4. 12. bona opera, velut meritoria, commendat? C. 12. 8. Angelus Tobiae orationem offert Deo? Nonne idem Danielis C. 12. 8. svadetur, et Apoc. 8. 3. Zachar. 1. 9. in libro nonne protocanonico idem fit? *Domine usque quo tu non misereberis Jerusalem, et Urbium Juda, quibus iratus es? iste jam 70-nus annus est.* Orat Angelus pro Urbibus.

Sed dices: Libri controversi habent saepe aliud, contrarium, quam sit in hebraico textu. *Resp.* imaginarie, et secundum phantasiam, non in se etiam hic C. 4. 2. de 7. lucernis fons loco 7. habet 14. sed contigit incuria describentium, nam Hier. 70. Chaldaeus Paraphrastes, Syrus, et Lutherus habent *Schibba*, h. e. 7. proin adhaerendum est versionibus. Vel debet sensus esse per anadiplosim, septem, *septem* inquam, explicante Sanchez. Sive unum, sive

alterum dicatur, neutro casu *septem* quoad realem veritatis expressionem dimittere cogemur.

An ex eo, quia Jerusalem a Tobia propheticè sub conditione observationis mandatorum Dei, in Vera Ecclesia, ad quam adhaesuri Messiae vero Judaei postmodum pertinebant, talis describitur C. 13. 11. non bene praenunciata talis, qualem Apocalypsis in marg. provocans Apoc. 21. 11. et seqq. describit? An quia Librum Sirach Nepos avi sui, Syracides ex hebraeo graece vertit, perinde, ac Theodotion librum Judith, veritates in opere contentae propterea Authoritatem perdiderunt? an tali argutiola siquis Protestantium utatur, etiam moderni Hermeneutae sustinere poterunt? cum aperte Librum II. Machab. alterius compendium esse, et tamen divinis libris recte adnumerari confiteantur? Parall. pag. 400. An librorum V. T. reliquorum divinitatem, Parall. Jobi, Esther etc. de quibus hodie Judaei fere parum aliqui supponunt, ex solis Judaeis probant, vel sicut potius nos, Ecclesiae antiquae testimoniis demonstrant? Si hoc ita est: Quare eadem testimonia Hellenistarum, et primaevae Ecclesiae potiorum Scriptorum adeo pertinaciter repudiant? ne plus perfidis jam Judaeis Christi ini-

micis, quam eruditione, sanctitate, et numero, omnibus item humanis et divinis praesidiis praevalentibus, quos una nobiscum velut inimicos fidei Christianae contemnunt, deferre videantur?

Contrarium postulat ordo providentiae divinae, Sponsa Christi Ecclesia Catholica successit Synagogae in jus, et plenitudinem vetustae haereditatis, et experimur cum fide vera necessario semper connexam esse veritatem Scripturarum, Ecclesiae Christum assistere ad discernendum, quis liber sit revera divinus, ubi fides vera emigravit, sicut apud Judaeos, etiam Scripturarum veritas plerumque solita est emigrare, ut in Manichaeis, Marcionitis, Alogis, Nazaraeis prius vere Christianis, postea Christianae legi Judaeorum ritus simul admittere conantibus etc. est exemplum. De Judaeis Isai. 55. Matth. 21. 4. est praedictum. Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Bene Tertull. Ubi *apperuerit esse veritatem disciplinae*, h. e. actionum Religioni conformium, et Religionis juxta Christi institutum, observantiam, illic erit veritas Scripturarum.

Recentiores aliquos Theologos emeritos vix e Scholis egressos optimis Hermeniae prin-

cipiis imbutos ad lectiones exterorum converti,
 studio novitatis, et suae eruditionis ostentandae
 non est dubium; manet in omni objecto, etiam
 Theologico verum illud Poetae notissimum:
 nitimur in vetitum: legunt avidissime libros ab
 exteris editos, dum domi habent a suis Docto-
 ribus sibi commendatos, et utiliores, quibus
 cum judicium desit, ipsa lectionis aviditate cre-
 scit ambitio, quam comitatur contemptus alio-
 rum se aetate, judicio, experientia, dignitate,
 et prudentia praevalentium, ubi confidentius,
 et familiariter loqui audent, quae bene, et u-
 tiliter didicerunt; tamquam orthodoxa, contra
 mentem Ecclesiae imprudenter, et cum offen-
 diculo aliorum applicant. e. gr. de Canonizatis
 Sanctis tantum supponi, et non plus, quam de
 aliis hominibus in fama Sanctitatis mortuis. In-
 fideles, et Judaeos salvari, si leges naturae
 servent, non venturos quidem ad Regnum Coe-
 lorum Messianum, sed nec damnari, nam in
 Regno Dei Patris mansiones multae sunt, et
 alia est claritas solis, alia etc. Nullum esse
 fundamentum distingvendi necessaria scitu, in
 ea quae talia sint necessitate medii, cum omnia
 sint tantum de praecepto. Si Pontifex Roma-
 nus aliquam propositionem damnet, esse idem,
 ac si privatus alicujus Dioecesis Eppus, damnas-

set: In expositione textuum Scrae. etiam dogmatica Auctoritatem Patrum valde multorum esse valde exiguam, quia inter se revera dissentiunt, et saepe paucioribus est adhaerendum, quia alii Lingvas Orientales non sciverunt.

Experiatur aliquis in similibus, ego de salvandis sum expertus, et in textu Matth. 2. 11. Magi Christum *proidentes adoraverunt*. Sciscitabar in discursu familiari ex tali audaculo, sciolo indolis ceteroquin optimae, emerito Theologastro: An credat juxta interpretationem Patrum a Magis Christum fuisse adoratum? Reposuit adoratum fuisse tantum civiliter, quia pro Rege Judaeorum recenter nato eum habuerunt. Dixi contrarium occasione textus tradi communissime a Patribus, imo ab Ecclesia, etiamsi de occulta eorum intentione nemo possit directe, et infallibiliter judicare. Severiore supercilio monui, non debere ipsum totius Ecclesiae Catholicae sententiae, sive sit de fide, sive non, semet opponere. Tacuit ille. Sit proin tamquam veritas Antithesis Christiano — Catholica occasionaliter declarata.

Magi Christum natum videntes non tantum oblatione donorum civiliter adorarunt, sed cognita praevie, si non jam in itinere, certe in ad-

ventu suo Christi divinitate, voti jam compo-
tes, per illuminationem internam gratiae super-
naturalis agnoverunt esse verum, oraculis Pro-
phetarum praenunciatum Messiam: et ideo tam-
quam Deo thbus obtulerunt; quem Judaei illo
tempore proxime venturum omnes exspectaverunt:
et cujus Stellam viae suae ducem Magi credide-
runt. Licet enim haec quaestio ab aliquo Oe-
cumenico Concilio, de fide Catholica ad creden-
dum non sit expresse proposita, est tamen Ec-
clesiae Catholicae certa sententia.

E p e x e g e s i s.

Leo M. fere tam aperte, et toties dicit
adoratum a Magis fuisse Christum tamquam
Deum: ut solus pro hac veritate in Ecclesia
Catholica ubique, et ab omnibus credita suffi-
ciat. Deus, qui Magos de longinquo vocabat,
eosque miro modo illustravit interius magis, quam
exterius, non sivit eos coram Jesu Christo my-
sterii hujus naturam ignorare: cum justificari
non possent, nisi qui Dominum Jesum et verum
Deum, et verum hominem credidissent. Serm.
4. C. 2. et reliq. de Epiph. repetit saepe, ut
etiam in Breviario videre est. *Divinitus inci-
tati* — — — jam vero ad eruditionem gentium

sermo propheticus transibat, et praenunciatum antiquis Oraculis Christum alienigenarum corda discebant — — — in nobis (Deus) impleri exoptat, quod in trium Regum imagine praecessit: nempe auxilium supernaturale. Magos ad adorandum praevia stella perduxit: ut rerum fidem, et regna Orientis per Magos discerent, et Romanum Imperium non lateret. — — — Agnoscamus ergo in Magis adoratoribus Christi Vocationis nostrae, fideique primitias. — — — Quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in Coelis. Dedit aspicientibus intellectum, qui praestitit signum — — — ad agnitionem veritatis gratiae splendore ducuntur. Haec S. Leo. Sic. S. Maximus: Quod Magi eum fulgentis stellae radiis incitati, adoraverunt: Deum verum, gentibus spes data est adorandi. Vere gentibus tunc primo coeli per stellam juxta Greg. M. enarrarunt gloriam, et benignitatem Dei Salvatoris.

Denique communis est expositio Magos adoratione Christi fuisse convertendarum gentium primitias: ferunt aliqui dein etiam domi totius vitae reformatione conversos. Credemusne Deum gratiae interioris auxilium iis negasse, quos tanto externi luminis motu ad gratiae omnis, et salutis Authorem perduxit? *Deus, qui*

unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede etc. supponit Ecclesia et Magos illuminatos etiam interius, et eos omnium gentium primitias ad salutem existisse. Nempe Magi Ecclesia canente lumen requirunt lumine, *Deum fatentur munere*. Hier. exponens Prophetiam Baalam *Num. C. 24.* Juvenci Poëtae Carmen producit: Magos obtulisse thus, aurum, myrrham *Regique, hominique, Deoque* dona ferunt. Greg. M. Qui Christum *Deum* negant, ei thus offerre nolunt; si qui eum tantum fatentur fuisse Regem, aurum offerunt, myrrham assumptae mortalitatis nostrae ei negant: nos offerimus tria dona (ait) credentes, quod is, qui in tempore homo apparuit, Deus ante tempora existit.

Aliqui Patres Hilarius, Maximus Taurinensis, et Aug. ultra literalem sensum progressi, addiderunt in eo, quod tres fuerint; et quivis quodlibet donum obtulerit, Trinitatem declarari, Serm. 1. de Epiph. Homil. 3. de Epiph. S. Maximus Taur. Contra vero in thuris oblatione determinate nihil aliud, sed Divinitatem Christi a Magis cognitam, et a primis e gentibus velut praenunciatam fuisse omnes, quicumque textum Matthaei explanarunt, una etiam supposuerunt, vel explicite docuerunt,

de Stella Prophetiam Baalam fuisse impletam. Justin. Origen. Athanasius. Magos idolorum cultu abjecto, expiato errore, primos praecones fuisse de Christo Deo, dicit Caesarius Dialog. 2. Interrog. 107. Magus errore deposito, procidit, adorat Deum, se invenisse humana miratur in carne. Petrus Chrysol. Serm. 156.

Justin. Mart. Dialog. cum Triph. Magi ad praesepe accedentes, ex tenebris idolatriae ad veri Dei cognitionem pervenerunt. Irenae. L. 3. C. 10. Magi deducti a Stella ad Emanuel, per ea, quae obtulerunt, munera; ostenderunt, quis erat, qui adorabatur? Myrrham quidem, quod ipse erat, qui pro mortali, humanoque genere moreretur: aurum vero, quoniam Rex, cujus Regni non erit finis: thus vero, quoniam Deus, qui et notus in Judaea factus est, et manifestus eis, qui non quaerebant eum. Origenes addit: in Christo externe nihil apparuisse, praeter sidus praenuncians; eum ergo adoraverunt velut omnibus daemonibus, et spectris familiaribus majorem, et excellentiorem.

Chrysostomus: ipsa Stella ostendit esse filium Dei stans supra caput pueri, et lumine eodem mentes eorum illuminante non homini tantum, sed tamquam Deo, omnium bonorum Auctori supplicarunt Magi. Homil. in Matth.

7-a et 8-a Ambros. tria munera fuisse in C. 2. Lucae. Aurum Regi, thur Deo, myrrham defuncto, *aliud enim Regis insigne, aliud Divinae Sacramentum potestatis, aliud honor est sepulturae, quae non corrumpat corpus mortui, sed reservet.*

Dices: Non est de fide expresse definitum. Quid tum? Sufficit esse communissimam omnium Catholicorum sententiam, et textus praemissi explicationem esse secundum sensum, quem communis Patrum habet, et Ecclesia Catholica tenuit, et tenet, nec heterodoxi (Socinianismi pulvere non respersi) refragantur; Inspeci obiter Osiandrum in textu citato: aurum qua Deo obtulisse, et mentem interne Spiritum Sanctum illuminasse asserit. Porro notat Osiander.

Danielem magnae auctoritatis fuisse in Persia, ex ejus C. 9. de 70. hebdomadibus, a discipulis ejus per regna, et Numer. 24. de stella illa a Judaeis ad gentes per varias provincias emanasse persuasionem, nunc adesse tempus, quo Messias advenire debeat. Itaque addit conformiter doctrinae Chemnitii, quem citat: *Hunc locum pro adoratione Eucharistiae allegant Papistae. Ad cavendam idololatriam, ut Christus Deus, et homo in divina, et huma-*

na natura in actione Coenae praesens adoretur, sed actio ad Christum Deum, et hominem dirigatur, non ad terrena elementa. Accusamur nos, et Ecclesia Seculorum praecedentium, cum doctissimis et Sanctissimis Patribus, quasi idololatrae, quod non pauci Augustanae Confessionis admissa nempe reali praesentia dicere de nobis reformidant. Sed haec ad Dogmaticos spectant, qui una ostendunt innumeras esse sententias certissime veras, aut omni tempore reverenter admittendas, quae non sunt de fide Catholica, seu quarum veritas expressa Ecclesiae Catholicae definitione non est declarata: talem statuunt plerique de morte Christi pro omnibus omnino hominibus, ex intentione fructus ejus, tolerata: et voluntate Dei omnes homines, nullo excepto, salvandi. Multa tamquam fide certa, ipsa publico usu, actu signato, creduntur, et ante omnia Oecumenica Concilia per totam Ecclesiam credebantur, corde credebatur ad justitiam, sive sanctificationem, ore autem confessio fiebat ad Salutem. Pallav. L. 6. C. 18. Melchior Canus L. 2. C. 10. L. 3. C. 3. L. 7. C. 3. L. 12. C. 7.

Expositionem Textus de Magis solum civiliter Christum honorantibus ubi prodiit An. 1702. typis Trivoltiensibus, Card. de Noail-

les, et Bossuet Meldensis Eppus. damnarunt: hic una opposuit rationes, et asseruit, contrarium *ad dogma Christianorum aperte pertinere*; nempe in conveniens est, expositionem textus adeo illustris, ab omnibus Patribus assertam, et velut certam repudiare, et contrariam a nemine Patrum adstructam invehere propter meam verbi *proskyneo*, latine *adoro* ambiguam significationem: dum insuper contextus, et adjuncta omnia Patrum dicta (utique non in vocis notione se fundantium, quam omnes Graeci, et Latini sciverunt,) suffragantur: evidentissime temerarium, periculosum, damnabile, et regulis ab ipso Simonio, et Criticis omnibus statutis, jam antea decreto Conc. Trid. et professione fidei Catholicae praestabilitis, e diametro opponitur.

Magi non idiotae fuerunt, sed Reges, h. e. sensu Biblico Reguli, toparchae, vel dynastae, qui eruditione sui temporis observationibus circa motum astrorum dediti, ut narrant veteres, et mos est apud Chineses, ex Herode Doctores interrogante Messiam in Bethlehem nasci debere juxta Profetias cognoscunt, cum 6-a circ. Januarii advenerint (verisimillime cum Ecclesia sic censemus, multis hodie morali certitudine, pro celebri Officii divini

solemnitate argumentis hunc diem demonstrantibus,) fama publica cunctas circumstantias, prout in Evangeliiis referuntur, uberiorius percipiunt, etiam si sola naturali sagacitate acti fuissent, *tot apparatus*, descensus Spiritus Sancti, vocis de coelo auditaе, Angelorum apparentium, insoliti sideris comitantis, et ubi erat puer, stantis, Deum haud gratis, sed ut aliquid Ominosi portenderetur fecisse: sibi persvasissent; proin, sicut Veteres, et omnes moderni, etiam Protestantes dicunt, confitendum est: *Deum ipsis gratiae supernaturalis lumen non denegasse*, cujus ipsa illa stella mirabilis, et insolita, fuit praevium indicium; et vero cui myrrham, et aurum dona ferunt, hominem, et Regem Judaeorum cognoscunt, de cujus praesentia oculi omnium testabantur, Angeli, Pastores, Deus ipse in Baptismo voce coelo delapsa, Pater, columbae specie Spiritus S. attestabatur: puerum pannis involutum, esse dilectissimum Dei filium: fuit autem totius mundi certa persvasio, Alexandri M. adhuc pueri facto memorabilis a Severiore illo Catone vindicata Deo thus inter dona competere; *thure Deum placat*: quare tria dona attulerunt, nisi thus referretur ad illum, jam ex Dei occulta ordinatione, et ex parte Magorum jam puero viso lumine etiam interno illustratorum intentione; thus enim Regibus, nisi quatenus vel *theogenes*, Deo geniti, quos hoc elogio ornarunt, quod ad Deum aliquem eorum referretur origo, vel quia participatione

potestatis Deo proximi censerentur, thus inquam offerre nequidem Ethnici consueverunt. Et istud iis sufficiat, quos Christianorum Argumenta non dermovent.

Simonius provocans ad exempla interpretum Matth. 2. 11. valde fallitur, aut fallit, et in hoc asserto manifeste propria sua principia convellit: quia illorum nullus Simonio adstipulatur; sed vel intelligunt Magos ante visum puerum itinere se accingentes primo motu de Rege aliquo cogitasse, sed viso Bethlehemii puero per Angelum edoctos fuisse uberius: vel Ecclesiam quaestionem istam non definivisse. Jansenium, et Estium frustra Simonius nobis opponit: nam etiam applicant adorationem a Magis Christo impensam ad eundem in Eucharistia praesentem pariter adorandum; quod autem Estius dicit, *omnino esse verosimile fuisse adoratum cultu laetiae*, non intelligit probabile sensu alio, quam non esse de fide; utinam solam talem intelligeret Simonius probabilitatem! Estius debet restringi ad modum cultus, quem ipsos ex revelatione didicisse profitetur, *obtulisse autem eos dicit tibus tamquam Deo*. Si aliqui, ut de Erasmo indicat Corn. a Lap. Magos de civili cultu exposuerunt, singulares pauculi ab aliis sunt reprehensi, nec nobis sunt curandi.



758242

